



V
B
J
C
11171



PROCESSVS IVDICIARII PRAGMATICI

IN IVRE CIVILI ET SAxonico recepti,

Ad praximq́ communem accommodati,

SYNTAGMA COMPENDIOSVM.

Authore [redacted]

GREGORIO CZARADZKI S. R.
Maiest. Cancell. Notario

concinnatum.

In vsum Consulum, Magistratuum, Iudicum, Aduocatorum, Causidicorum, atque etiam Iurisprud. tyronum.

Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

CRACOVIÆ,
In Officina Nicolai Lobÿ, A. D. 1612.

AD INSIGNIA, ILLVSTRISSIMI MARCHIONIS DE MIROW.





Militia soleâ, cruce relligionis honores
Panduntur, cincti stemmate Gonzageon.
Marchio Sismundus Myßkenius inclytus Heros,
Magnanimo hæc rutilans pectore signa gerit.
Innata huic virtus, tantos impreßit honores,
Virtuti ipse etiam charmata quanta parat?
Magnificas laudes, famam, atque Heroica facta,
Belligerûm exæquat conditione Ducum.
Cessabunt aquilæ prius aera scindere pennis,
Reges abycient aurea serta prius.
Atque prius soleas desistent cudere fabri,
Crux fidei signum desinet esse prius.
Ardua Myßkeniy quàm gloria, nomen, honosq́,
Cesset magnifica laude sub astra vehi.

Illustris-



Illustrissimo Domino,

D. SIGISMVNDO MYSZKOWSKI GONZAGÆ, MARCHIONI DE MIROW. SVPREMO Regni Poloniæ Marschalco. Soleceñ. Grodeceñ. Korczineñ. &c. Capitaneo. Domino suo colendissimo.

S. P. O.

DVABVS POTISSIME REBVS, Marchio Illustrissime, Regni bene constituti, laus consumata, decusq; perfectum comparari solet, regimine & iusticia: quorum alterum, splendorem augustum cum grauitate Reipub. confert; altera animos hominum communi vtilitate connectens, atq; conseruans, suam cuique tribuit dignitatem. illud omnes in Regno personas, & res, in ordinem redigens, intra limites dominatûs subiectas, in officio continet; hec ceure-

ctitudo ordinis, in partibus omnibus, vt scilicet, irascibilis, & concupiscibilis subdantur voluntati, voluntas autem rationi, operatur: atque inde proueniunt, innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. hisq; virtutibus, vir princeps & bonus, primùm sui, deinde autem Reipub. rector efficitur. Respub. autem cùm sit corpus quoddam compactum ex membris, quod diuini muneris beneficio animatur: & summę ęquitatis cogitur nutu, & regitur quodam lumine rationis. Quemadmodum autem venustas corporis, apta compositione membrorum, mouet oculos, & delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes, cum quodam lepore, consentiant. Sic corpus Reipub, & regni, regiminis gubernaculo motum, quasiq; ad lyram iusticię, et ęquitatis concinnatum, ita elucet: vt ordo constantię, moderationi ęquabilitas, iusticia regimini, vicissim correspon

deant. alterum vero absq; altero minimè stare, Regnum quoq; ipsum sine vtrolibet consistere nequit. Hęc ornamenta, augmentaq; Regni, & Reipub. regimen videlicet & iusticia, dum radices in politia laudabiliter agunt, pollereq; cernuntur; in Marschalci pręcipuè personam deriuari, officioq; ipsius excellentissimè conducere, nemo non videt. Quid enim Regię Maiestatis (vt cum rescriptis sanctionum Regni loquar) amplitudini augustius, quid Senatus, Ordinum, Populiq; tantę Coronę celebrius, quid omnibus Reipub. munijs, in iure suo rectè potiundo accommodatius accidere potuit, quàm vt in Regno, singularis quidam Magistratus, facileq; pręstantissimus, inter ordines grauissimus, in Senatu maximè authorizans, designaretur? Quo quidem Regia Maiestas, veluti supremo Magistro, ad specimen ipsius Regni quodam modo amplificandum, atq; con-

decorandum, suę personę dignitatem augustiorem faciendam, Curiamq́ gubernandam, vteretur. Atq; is est supremus Regni Marschalcus, qui sanè, vt omnes ad reuerentiam Regię personę flectantur, Regiam personam cum Scipione antecedit: imperata sine cunctatione, domi forisq́, pace & bello, expediri facit, & ne in his mora aliqua committatur, prouidet. Negociorum item, ac litium in Curia, in brachioq́ Curię incidentium, Iudicem seu Arbitrum ordinarium agit. Duelli iussu Regis committendi, aut dirimendi facultatem habet. In Comitijs dicendę de re proposita sententię Senatoribus vices distribuit. Perę què omnia cùm in sago, tum in toga perficit, quę loci ac temporis alicuius ratio, ad dignitatem Regni & Regiam, fieri postulat. vti leges patrię vberiùs de pręsentibus pertractant. Hanc tu dignitatem amplissimam, Heros illustrissime, geris,

SVPRE-

SVPREMVMQ. REGNI. MARSCHALCVM, *summa cum tua dignitate, agis, adeò vt & amplitudinem Regis et Regni alterâ manu concludens, Rempub. graui consilio, authoritate ineffabili Senatum, Patriam prudentia admiranda collustres, in rebus gerendis singularem ac prope diuinam dexteritatem prę te feras: Alterà iusticiam, & ęquitatis decorum amplissimum sustinens, tanta grauitate excellis, vt heroicas illas virtutes omnes, in te vno exprimas sufficientissimê. laborem nimirum in negocijs strenuissimum, fortitudinem in periculis constantissimam, industriam in agendo solertissimam, celeritatem in conficiendo sagacissimam, consilium in prouidendo prudentissimum. Et cum tantùm duo sint in Repub. tempora, quibus quo quis animo, qua virtute, quo consilio sit perfacilê dispicitur, pax videlicet & bellum: ea tu semper magnanimo ac in-*

gentì ita tractare & exercere nosti, vt nec alium Martem in hoste, vel quouis alio maleuolo retundendo, nedum deuincendo, nec alium Apollinem in pacatis reb⁹ moderatione prudenti disponendis, natura ipsa desideret. Sic & potentia Sagatus augusta, & scitissima rerum cognitione Togatus, in Reipub. splendidissimê refulges. Quare meritissimê tibi illud xenion perquàm laudabile Julij Cesaris est attribuendum, qui post tot illa trophęa ex hoste reportata, triumphumque, ex Pompeio, in campo Pharsalico relatum; victor in vrbem remeans, in rostris spectabili forma depictus fuit, altera manu gladium, altera librum gestans: nec potuit alio celebriore elogio á Romanis cohonestari, quám si & belli fortissimus, & pacis tempore prudentissimus apud omnes inde celebraretur. Quin & tu Marchio Illustrissime, vtraque tempestate Reipub. splendidus in

Senatu, & fortis in armis non extitisti? dum aut illis procellis ciuilibus ingrauescentibus, Martijs fisus non paucis phalangibus, quas propria ex potentia comparâras, fremebundas nebulas discussas, in serenumq; versas, lętissima fronte adspexisti. Aut nunc ad egregiam super Moscouia, vastissima prouincia, victoriam, dominumq; non quęrendum, sed iam inuentum continendum, Serenissimo Sigismundo III. Regi nostro clementissimo, suppetias verè Senatorias tulisti, dum aliquot centena peditum, tuâ stipe & mercede propriâ, non solûm inducta, verûm etiam pro quaterno trimestri, ampliato stipendio cumulata, immisisti. Et ipse quidem strenuissimus alioquin in quibusuis pro Reipub. augmento vel ornamento laboribus et periculis exatlandis, illico conuolare non dubitauisses, nisi incommodę valetudinis obstaculo distentus fuisses. Enimuerò in Senatu digni-

tas tua, dignitatisque amplissima functio cum quanto honore, cum omnium etiam admurmuratione & applausu á te exercetur? non est huius loci recensere, vbi breuitas ipsa, succinctam rationem orationis presertim deposcit: plurima etiam moles monumentorum, & librorum, ad id enarrandum, ne dicam exornandum, ęgrè sufficeret. Claritatem porrò generis, maiorumq; tuorum amplitudinem Senatoriam, quid referam! Plenę sunt sapientum voces, plena encomia, phana, delubra, plena rescripta Principum, & Regum, laudis & dignitatis ipsorum. Consultò hîc prętereo illum Petrum Myszkouium de Mirow, Palatinum Lancicien. Supremumq; Regni Polonię Marschalcum, tot Chronographorum, scriptorumq; voluminib. celebratum. Taceo innumeros alios Myszkouios, quorum è linea luculentissimam prosapiam ducis, Petrum Capitaneum Leopolien. copiarum,

mercenariorum militum, Prefectum dignissimum, Stanislaum Miedzyrzecen. Martinum Wielunen. Nicolaum Woynicen. Oświecimen. Zatorien. Miedzyrzecen. Capitaneum, Andream Lublinen. Christophorum Rauen. Joannem Oświecimen. Castellanos, fortissima olim Regni Polonię firmamenta. Pretermitto Stanislaum Myszkouium de Mirow, Martini Castellani Wielunen. filium, Palatinum, Capitaneumq́; Generalem Cracouien. & Rohatinen. Heroa auorum nostrorum seculo potentissimum, in Repub. & Regno Polonię zelatorem feruentissimum. Et vt taceam sexcentos alios maiores tuos claritate & dignitate Senatoria facilè prestantissimos. Non commemorabo hic Nicolaum & Georgium Myszkouios, alium Canonicum, alium Archidiaconum, Cracouien. viros secundum cor Dei religiosissimos. Tacebo Petrum pię recordationis Epi-

ſcopum Cracouien, Ducem Seuerien. patruum tuum germanum, ſpeculatorem fidei zeloſiſsimum, Eccleſię Dei columen validiſsimum, Reipub. luminare fulgentiſsimum, religione in Deum, pietate in Patriam, temperentia modeſtiſsima in ſeipſum, orphanorum & egenorum munificentiſsimum auxiliatorem, iuxtà ac deſideratiſsimum protectorem, tui verò nepotis ſui intimum amatorem, virtutum prorſus omnium fonte limpidiſsimo ſcaturientem. Quid, paruanê ſunt hęc? maiorum claritudine ampliſsima colluſtrari, & ab iiſdem dignitatem Senatoriam, planè per manus traditam, proprio nitore virtutum auctiorem reddere, ac noua acceſsione amplitudinis adaugere. Qua tanta tamq; Heroica virtute tua deuincti, Sereniſsima Familia Gonzagarum, Principes in Italia, toto quoq; orbe terrarum pręſtantiſsimi, ſpectatiſsimique, ſuo fraterno vinculo, nexuque ne-

ceſsitu-

cessitudinis Ducalis irrefragabili te inuitum etiam, idq́ minimè prensantem, adiunxerunt, sibiq́ adunârunt. Viderunt & sunt experti virum, omni memoria seculorum celebrandum, teque & virtutes in te tuas strictissimè adamârunt. Sed & vidit te Italia ipsa vniuersa, vidit Hispania, vidit Gallia, atque Germania, moribus Heroicis excultum, virtutibus Senatoriis exornatum, doctrinâ omnigenę Mineruę perpolitum: viderunt inquam, te amplissimum, grauissimum, & humanissimum, & quasi obstupefactę, tuas virtutes augustas attonitę suspexerunt: Quarum demirationem tu quoq; industria tua pensasti, dum earum idiomata, ad vnguem non didicisti solùm, sed quasi innata, tecumq́ simul adulta in habitum robustissimum percepisti. Nunc autem eo perfectionis deuenisti, vt omnibus nota sit tua authoritas in dicendo, grauitas solertiaq́ in agendo, venustas in

ore, comitas in oculis, erga inferiores clementia inexhausta, in pares admiranda humanitas: horum tamen omnium maxima consilij Senatorii celsitudo. Quis enim te in Senatu de Repub. sententiam dicentem vnquam audiuit, quin doctior, hilarior, commotior abs te abiret? in quo & Philosophorum grauitas, Iurisconsultorum prudentia, oratorum elegantia, & Historicorum fides elucet maximè, vt nihil tibi prorsus ad summum ingenium, summamq́ gloriam deesse videatur. Illud quoq; quod ad tuam summam dignitatem facit, non est silentio comprimendum, quod legatione perfunctus es in Austriam grauissimà, pro Serenissima Regina Poloniç Constantia Austriacç Domus luce luculentissima, Regno & Regi Poloniç inclytissimam spem & expectationem Regnorū fidentissimam progenerante, accersenda. Sed id quoq; honori tuo non parum suffragatur, quod

filij tui, proles tua Augusta, futura olim Reipub. lumen clarissimum, in externis oris instituuntur populorum exoticorum mores & gesta conspicantes, speculantesq́; magnam eruditionis messem, in Poloniam vberrimê asportaturi, tuique nominis & virtutum ipsissimam speciem relaturi. Floret decoris tui gloria, florebitque semper Marchio Illustrissime, nunquam de tuis laudibus & Xisti Oratorum disertissimi, & Poetarum officinę facundissimę conticescent. Quę omnia & singula, dum ego in animo impensiùs perpenderem cogitaremq́;, quo pacto tanti viri, tanta claritudine in Reipub. nostra effulgentis, radios beneuolentię, quasi ventilabro aliquo in faciem meam detorquere possem: Et ecce tandem cogitanti, occasio sese obtulit, mihi certè gratissima, & tuę Celsitud. dignitate haud indigna. Conscripsi Syntagma Processus Iudiciarij in iure Ciuili & Saxo-

nico receſſit, ex remotiori & abſtruſiore Iuriſprudentię ſtudio promanatum, tum diuturniore praxeos obſeruatione depromptum, quod in lucem edere (propter aliud á me lucubratum, typiſq́; conceſſum, cui Theatrum Chronologicum Chorographicumq́; Sarmatię Europeę indidi) in aliud tempus diſtuleram, opus nimirum Hiſtoricum ab operis iam excudi cęptum, vrgens ad optatum finem. Victus ſum precibus quorundam amicorum meorum, illudq́; Pragmation, non expectato exitu finali Chronologię, typo prius vti minutius, mandandum duxi. Et certè admiratus te, pręter cęteras illas Generoſiſsimi, Magnificentiſsimiq́; animi tui virtutes, & eximiam linguarum & doctrinę cognitionem, ob idq́; Muſarum cultorem aſſiduum; & literatorum, pręſertim in eo genere politico, patronum ſingularem, imo patrem exiſtere liberaliſsimum, animo ſanè auidiſsimo, hoc meum

proto-

protogeneum, Iurisprudentię simion leuidense quidem, sed summo cum labore & studio à me elaboratum, sub auspicio amplissimi nominis tui exire in publicum constitui. Spero equidem tibi non aliam mentem in eo negotio fore, quàm Cęsari Augusto, qui dum Memphiticas oras, & Regna Canopi peragrans, lustraret, non adeò Pharon turrim sumptuosissimam, Mausolęa Regum opulentissima, Serapidis templa amplissima, cęteráque orbis miracula spectanda duxit, quàm Lycęa musarum, in quibus viros literis deditos demirari, eorumq́; dicta, scriptaué, solitus fuerat. Habes tu Marchio Illustrissime subiecta oculis tuis, septem illis miraculis mundi, ponderosiora Reipub. moderna negocia penitiùs inspicienda, habes functionem Magistratus tui, ex quo vigilantissimè, ceu è speculà, commoda simul & pericula Regni contemplaris, coramque semper propositum vocationis tuę

officium, à quo maximam indies Respub. gloriam, subsidiumq́, prestolatur, specularis. Sed abstrahe queso illius Augusti exemplo, paululùm à grauioribus occupationibus animum, atq; hoc iusticię dicasterion, syntagma iuridicum, Musis Justinianeis excultum, hilari fronte aspice, quod tibi offero, do, dedico, consecroq́ue. qua par est animi submissi obseruantia rogans, vt ea illud vultûs serenitate accipias, qua soles cętera, emolumento pręsertim publico deseruientia. Quodsi pro innata tua clementia, voti me compotem feceris, eaq́, sub tuo patrocinio fouere non fueris dedignatus, me ad ampliora queq́, tibi offerenda & consecranda, tum ad alia obsequiorum humillimorum officia pro virili præstanda, facies promptissimum. Deus interea Opt. Max. tibi adsit, in omnibus factis tuis: vt Patriæ, Regi, nobis, viuas diutissimé, sospes, saluus, & incolumis. Crac. 20. Septemb. Anno D. 1612.

Illustrißimæ Celsitudinis tuæ
Obsequentißimus.

GREGORIVS CZARADZKI S.R.M.
Cancell. Notarius.

Lectoribus Candidis Salutem.

QVOD *prisca antiquitas scriptum reliquit, euenisse quondam Vlissi Laertio, idem fermè vsuuenire mihi, vsuram hanc stationis humanę protrahenti, dispari quidem in conditione, modo certè haud absimili, non est inficiandum. Tametsi enim non vt ille, in Troiana obsidione alterum decennium, alterum palabundus nauigando insumpsit, sed inexpugnabilem rerum scientiam & cognitionem (quas vti cętera dij nobis, vt quidam attestatur, męnibus laborum & difficultatum circumuallârunt) excubiis diuturnis fatigans, incursibus anxiis exercitiorum literariorum, in muros ferulę dogmaticę euadens, oppugnabam. Ita primùm pręuiis triuialibus disciplinis, â puero, dum non mures addere plostello, aut equitare in arundine, vacabat: (apud eos, qui ignito eloquio, dogmatisq; salutiferis, animos hominum,* IESV *ve-*

stigia sequuti, instituentes, vtroque cum profectu, pietatis simul & literarum, edocent; viamq́ salutis ęternę vera amussi permetientes, viatoribus in patriam commeare haud abnuentibus, placidissimè sternunt.) non ad fluenta Xanti & Simeontis: sed Pegasio fonti, in Helicone, ê iugis Parnasiis, Hyppocreneos latices deducenti, adhęrescens, Tullianas lymphas, suauissimę facundię lepôre scaturientes, persectatus fui. Postmodûm verò tanquam in equo Troiano, ex trabibus theorematum Arestotelicorum fabricato, Flium ignorantię, techna solerti, diruto muro stupidę ruditatis, flammaq́ sedulitatis excitata, excindendum aggressus, pulcherrima trophęa anhelus ambiens, stipendia veritatis philosophicę, prensaui. Deinde maturioris iuuentę factus compos, Craci Musas inuisi, in Lycęisq́ earum peramęnas auscultationes personantibus, doctissimorum quorumq́ anta-

gonistarum vibratas argutias, Dunsicas etiam subtilitates, inter Seraphicam theraphiam, ante nouem annos sparsas, auido spiritu excepi. Ea prorsus omnia, quę antehac strictiûs imbiberam, latiore larice deglutiens, in seueriorem oxytimiam recondidi. Qualibus obsoniis, quasi comastes factus, exuuias & spolia ex palestrâ illâ studiorum reportata deferens, ad Penelopes castissimę, puta Iurisprudentię sacratissimę complexus, adproperaui. Deturbabant promptum animum á proposito, pelagi nauigati, fluctus onerum eristicorum, procellę difficultatum, & anfractuum scopuli. Syrenum etiam dulcissena illecebra pellicientum, in freto ocij, torporisq́, demergere nitebatur: Enimuerò & fluctuantes tricas, remis assiduitatis, salem lectionis firmiter sulcando, perfringere; & imposturas voluptuosas Acheloidum, oblitis auribus cerâ facem nocturnę lucubrationis redo-

lente, securo nauigio prȩterlabi licuit. Quin & Circea venena, prȩstigiaq́; consuetudinis familiaritatisuê perniciosȩ, solerti indagine euitata, declinare: Cyclopeamq́; frontem vnico lumine horrendam, crapulȩ videlicet temulentam cȩcitatem, sude prȩusta modestiȩ, eruere placuit. In votis erat, ad desideratam Icarida, ex legum, iurium, sanctionumque diuarum formà prudentiam adumoratam, concinnatamq́; per tot rerum discrimina, per Syrtes, Scyllas, & Charybdes, Ioniaque saxa appellere. & licêt procis permultarum ambiguitatum stipata vix conspectu possibilis fuit, diffusis tamen illis, aliis obtruncatis, in amplexum tantȩ omnium virtutum magistrȩ ruere, vehementer iuuit. Porro quid prodest curriculum fortunȩ Itaci, peristasi vitȩ meȩ accensere? dum longè diuersa syndichia vtrique obuenit. Ipsam ego Penelopen, optatam nimirum Iuris-

prudentiam, non potui amplexu proprio dignari, solam speciem diaphanam, in speculo apparenter duntaxat cognitam, conspicari ęgrè concessum est. Age verò, conspectam saltem idęam, quę lineamenta faciei ipsius vtcunq; referret, in tabella minutiore depinxi: SYNTAGMA *hoc* COMPENDIOSVM PROCESSVS IVDICIARII PRAGMATICI, *peniculo iuris dicundi coloribus tincto, vermiculatum reddidi. Atque dum tam augustam prosopsim, non vt Zeuxis, de venustissimarum quinq; virginum, è totius Gręcię eparchiâ selectarum, blemmate, formam Helenę formosissimę picturus delibabat effingendam: cęterûm ex diuinissimis gynecijs, scilicet legibus Iustinianeorum voluminum, atque Magdeburgicorum edictorum, formâ quoq; frequentatę praxeos formatâ, scitissimis item iconibus commentorum, responsorum, consiliorumque, à consultissimis*

iurium Auguribus, profectorum deprom pta, viuacem imaginem (monstrum fortassè) efformaui. Quare si venustatem in eo syntagmate concinnando non sum consequutus, illud vnum me solari poterit, ex Anonymi cuiusdam gnoma profectum, quod quę naturâ deformia sunt, plus habent & artis & voluptatis in tabula. Non culpabitis itaq; si prima fronte quid indignitatis conspicati fueritis, eò enim ipso quod portentosũ forsitan iudicabitis, iusta demiratione fallere, schematicum proscęnium nefas habebitis, nisi obtutum primum, in perlustranda opella perexeritis occupare. Quodsi quodpiam fuerit in hac materia derelictum, eaq; quę supersunt, non adeò politioribus literis, nareque emunctissimis elaborata, vt ne quęso in malam partem detorqueantur, quę studio vtilitatis aliorum augmentandę, sunt complicata. Nulli enim vnquam vitio versum fuit, quod in sua facultate, non

quę vo-

quę voluit, sed quę communis vtilitatis causa potuit, pręstitit. Quare cum C. Lucio hîc expetendum mihi venit, vti ea quanta quanta sint, legerentur, neque ab indoctissimis, qui nihil intelligerent, neque à doctissimis, qui plura & absolutiora exposcerent, his namq; à me satisfactum iri diffido; illis quibus nihil est iudicij probari nolo: sed mediocribus, & ad iuris excelsum culmen necdum prouectis, vt quantulam processus iudicialis normam, iuxta exigentiam forensis litigij dirigendam comprehendant, proinde vt minimùm decerpant, quod causę suę patrocinaturum sperabunt. Nihil hîc comperient, nisi quod aut Justinianus sanxit, aut Saxo conclusit, aut praxis quotidiana, per decisiones peruulgatas, imitandum edocuit. Pugnantia verò, inter Magdeburgici & Imperialis iuris dispositionem, differentiarum vel copularum nexu, vtvt po-

tui, pro virili, conciliaui, alterutrius in quibusdam secutus canonem, quę veritati ęquitatiq; magis consona visa fuêre, om misso contrario, contuli. Neque me ab hoc labore deterruerunt, tanta tamque immensa volumina legum, quę Imperator, cęteriq; Legislatores, cum infinitis eorum interpretibus, accuratissimè ediderunt; tum & in iure Saxonico Prouinciali, Magdeburgicoq; Municipali, propè infinita Iureconsultorum opera, maximam lucem & nitorem, sensus legislici, enucleantia; vt actum agere videar. Nę ego iustissimos legum Ciuilium Commentarios, aut Saxonicarum digestionum articulata iura compingere, atque edere in animum non induxi. Sed structuram quandam, ex his cęlatam, processus iudiciarij, Isagogenq; forensium progimnasmatum, ad pragmaticam fori prosequutionem spectantem, cum suis debitis, & distinctis titulis, commonstrare

sum enixus. ordinem emergentium iudicij administrandi in iure dicundo adaptans, non inutilem, & fortasse non iniucundum. Et quoniam, dum hanc opellam lucubrarem, in propatulo Acta Curię Reg. haberi nequibant (iusticium enim ob expeditionem Moschouiticam inoleuerat) vnde practica consuetudo, in ambiguis iurium differentiis, in vtram partem deterta, preiudicato aliquo supremi subselij Iudiciorum Reg. firmaretur; ex obseru. pract. Admodum Reuerendi D. Andreę Lipski, Secretarij Regij, authoritate ipsius reuerentiali fisus, preiudicia decretorum nonnullorum, assertionibus meis accommodanda duxi. Omnia prorsum eò direxi, quò vberiorem vtilitatem adferre possint. Sanè parua hęc & vilia esse non diffiteor, et quidem nulla grauitate styli, aut doctioris mineruę compturâ, condecorata: si autem non ingenio, studio saltem meo, ex-

ſpectationi bonorum, vtcunque reſponſura. Qui tametſi fortè in pręſentiarum haud ſibi ſatisfactum iudicârint, tamen me non ocioſum ſtertere, vel non viuere vt edam, ſed edere, vt non mihi tantum, ſed & alijs viuam, meum hoc inſtitutum, ſobrio arbitratu penſitantes, diſcreuerint. Nec dubito fore, quin iſta qualiacunque ſint, rectę virtutis ſtudioſi aſpernentur: quidquid autem nobili ac delicato palato ſuo non ſatis ſapiat, id pro beneuolentia ſibi indita, benigno vultu aſpiciant; mutila, fęcundâ ingenij ſui dexteritate ſuppleant, breuitati ſiquidem ſtudendo, plurima conſultò ſunt prętermiſſa. At ſi hęc ęqui boniq́ue fecerint; breui vberiora, politiora etiam aſportaturi: nunc ea boni conſulant, feliciterq́ue valeant.



INDEX TITVLORVM HVIVS SYNTAGMATIS in tres partes distincti.

PARS I. TITVLVS

PARS II. TITVLVS



PROCESSVS IVDICIARII PRAGMATICI, IN IVRE CIVILI & Saxonico recepti, ad Praximque communem accommodati, Syntagma compendiosum.

PARS I. TITVLVS I.

De Iudiciis.

Summæ.

1. *Iudicium ultimum* CHRISTI IESV, *homines nequidquam contremiscentes, aliis iniurias facessunt.*
2. *Iniuriam passus quis, iudiciorum & iuris mediis vtatur.*
3. *Quid sit Iudicium.*
4. *Iudicium aliud Spirituale, aliud Sæculare*
5. *Authoris proponentis enucleatio.*
6. *Iudiciorum particiones plurimæ.*
7. *Criminale.*
8. *Ciuile.*
9. *Feudale.*
10. *Mixtum.*

11. *Vniuerſale.*
12. *Generale.*
13. *Commune.*
14. *Speciale.*
15. *Ordinarium.*
16. *Summarium.*
17. *Sine figura Iudicij.*
18. *Extraordinarium, ſiue ex his mixtum.*
19. *Iudiciorum Iuris Saxonici aliæ diſtinctiones.*
20. *Burgrabiale eiuſq; proprietates.*
21. *Expoſitum, Legale, Scultetiale.*
22. *Hoſpitum ſeu hoſpitale.*
23. *Opportunum ſeu neceſſarium.*
24. *Flagrans ſeu recentus facti.*

Conditus ingenio cęleſtis Spiritus adſit,
Quo valeam ſcriptis reddere iura meis.

IESVS CHRISTVS iuſticiam in extremo iudicii die dicturus, præmia vel pænas, prout quiſque in ſuo corpore geſsit, hominibus diſpertiturus, ſtrictiſsima æquitatis lance, omnia ac ſingula acta, dicta, & cogitata ipſorum trutinabit, di-

ſcernetque: & quo nunc patientiùs indulget noxis noſtris, quaſiq; laneis pedibus ad puniendas progreditur; eò aſperiùs, in illa vltima tribunalis ſui inſtantia, remiſsionē, tarditatemue pœnæ, grauitate iuſtiſsimæ iræ ſuæ Diuinæ compenſabit. † Enimuerò 1
labiles naturâ homines, fomite peccandi innato impulſi, Deum Iudicem æquiſsimum, vindicemque ſcelerum acerrimum, eius quoque iudicia horribilia nequidquam contremiſcunt, nedum iuſticiæ ordinariæ ab eo ſubſtitutæ, legum & iuris, nimirum rigorem legittimum, coercionemq; ſenſibus expoſitam poſthabēt & contemnunt: ſed etiam in dictorum factorumué ſociis nexibus, vel quaſi nectentibus contractus nominibus viciſsim obligati, promiſsis non ſtare, vel etiam iniuriarū flagitiis, aut quaſi iniuriantum delinquentiumque mo-

re, alter alterum lædere, damna per vicinias inferre, vel ſaltem quod ſuum eſt denegare peruicaciter ſoleāt. Inde tot litigioſæ in foris publicis diſceptationes, tot rixæ, tot ſimultatum diſsidiorumque nefandiſsima iurgia denſiſsimè gliſcere conſpicamur.

2 † Quare vt, alter ab alio iniuriam, aut quoduis tale grauamen, ſeu præiudicium paſſus, certis mediis vindicando, certo iuſticiæ tramite perſequi poſsit, ſumma Reipub. tranquillitate factum eſt, ne quiſquam ſibiipſi ius dicat l. 1. C. ne quis in ſua cauſa. Sed pro eo quod cui debetur, iure experiatur: quo iudicio rectè inſtructo fieri conuenit, quo quaſi ſæpimento ciuitates vallantur, vt ſic legittima rerum perſecutio ſit, neque vis, quâ nihil eſt pernicioſius, in ea cōmittatur.

3 † Eſt autem Iudicium actus legittimus, ad indagationem rei controuer-

ſæ apud Iudicem, pro ſententia ferē-
da inſtitutus. Sed & Iudicium M.
Varroni dictum eſt, quod ius, id eſt,
pronunciandi copiam Prætori par-
tes facerent. Alciat. lib. 3. c. 2. vul-
gò à Iudice deriuari ſcribit. † Iudici- 4
um verò (quod idem eſt quæ poteſtas
iura dandi vel dicendi, ſeu gladius)
eſt duplex, Spirituale videlicet & Sæ-
culare. vocanturque hæc iudicia gla-
dii; quia ſicut gladio arcentur & pu-
niuntur flagitioſi: ita ſpirituali qui-
dem gladio animæ exceſsiuæ in offi-
cio continentur, Sæculari verò, homi
nes peruerſa patrantes & delinquen-
tes coercentur. † Porrò dum propo- 5
ſitum noſtrum eſt iudicii ſæcularis, e-
iuſque Burgenſis ſeu Ciuilis, Saxoni-
ciq; PROCESSVM IVDICIARIVM
breuiuſculè pro virili perſtringere.
Iuris Diuini, Canonici, ſeu Spiritua-
lis tractatus ſacris Myſtis commita-

mus, nobis intentum noſtrum propoſitum vrgere ſuffecerit, licèt nonnunquam canonicas etiam rubricas citabimus.
6 bimus. † Inter alias plurimas partitiones iudiciorum, hæ ſunt: Vtpotè Criminale, Ciuile, Feudale, Mixtum, Vniuerſale, Generale, Commune, Speciale ſeu particulare, Ordinariũ, Summarium, Et ex his mixtum ſiue
7 extraordinarium. † Criminale, in quo publica vtilitas aut vindicta ſpectatur, vulgoque ex forma citationis vel libelli penſatur, dum videlicet quis citatur criminaliter in citatione vel propoſitione non ponitur taxa rei, pro qua reus cõuenitur: ſed ad extendendas legum pænas quærela dirigi-
8 tur. † Ciuile, quod ad priuatum commodum partis ſpectat, tractatque de actionibus perſonalibus, realibus, petitoriis, poſſeſſoriis, & ſimilibus: & Ciuile exinde maximè dicitur, quod

in tali iudicio vtraque pars tàm Acto-rea, quà citata, per sententiam iudi-cii ciuis remanet. at in criminali sem-per ferè, aut reus criminis damnatur ob idque iure ciuitatis priuatur, aut actor delictũ conuenti non probans, atq; succũbens in causa, per SC. Tur-pillianum in pænam talionis illabitur. SS. l. 3. art. 10. & l. final. Cod. de ca-lumniat. † Feudale, vbi de Feudis 9
tantùm agitur, quod non in quouis, iudicio, sed coram suo Domino, vasal-li sortiuntur. † Mixtum, quod de his 10
tribus participat: vt si actio legis A-quiliæ, pro damno iniuria dato, con-tra negantem intentatur, rem inue-stigando pæna postulatur, & in feu-dali fundo iniuria facta supponatur. Vniuersale † iudicium est, quãdo ius 11
vniuersum, quod nobis vel in rei ven-dicatione, hæreditatis petitione, bo-norum possessione, cum rerum omni-

um ſequela adiudicari poſcimus.
12 † Generale eſt, cùm generaliter quid petimus, quod plura ſub ſe capitula continet: veluti eſt, iudicium tutelæ, pro ſocio, negociorũ geſtorum, &c. quæ actiones multarum rerum administrationem complectuntur, veluti vini, olei, ſalis, panni, veſtis, equi, do-
13 mus, fundi, &c. † Commune eſt, quod inter eos agitatur, qui aliquas res pro indiuiſo poſsident, & earum cõmune dominium habent, aguntq́ue, vt per officium Iudicis diuidantur: prout actio eſt familiæ herciſcũdæ, finium regundorum, communi
14 diuidundo. † Speciale, dum rem particularem mihi debitam peto, vt veſtem, librum, gladium, mille ex mu-
15 tuo, vel alio debito. † Ordinarum, quando Proceſſus iudiciarius, ſortitur omnia ſua membra requiſita atq; ſubſtantialia actionis. id eſt, dum pro

ceditur,

ceditur, cum plena inquiſitione, propoſitione, reſponſione, replicatione, duplicatione, &c. contradictione, confutatione, & id genus aliis, cum pleniſsima cognitione rerum omnium & circumſtantiarum, l. iudices C. de iudic. † Summarium, quando non 16
per omnia membra proceditur, & hoc fit, vel dum ex reſcripto principis Iudici mandatur, vt ſic procedat breuitatis cauſa, vt hic DD. in Clem. ſæpè, de verb. ſignif. vel in iis cauſis, in quibus ius ſcriptum ordinat, vt ſic procedatur: videlicet in omnibus materiis poſſeſſoriis, prouiſionis alimentorum, ſpoliationis, relaxationis incarceratorum, exequutionis, ſequeſtrationis, taxacionis expenſarum, ruptorum aggerum, aut littorum, riparumué ſubitæ reparationis, & ſimilibus. Vel ſic de plano proceditur in cauſis leuibus & exiguis, quales ſunt

quando filius furatus est patri, vxor marito, aut seruus domino vel magistro, & ita in huiuscemodi aliis. Bart.
17 in l. leuia.ff. de accusat. † Vel hic procediturs ine figura iudicii, quando iudex in causis miserabilibus,turba causidicorum exclusa, semotis tricis longis processus, scripto tenus tradi solitis, sola verbali productione, auditis duntaxat partibus,& testibus, ex personarum,vel potiùs rerum considera-tione censuram colligit, & sententiam pronunciat. Talesque processus, sine figura iudicii, ventilari apud Iudicem possunt, etiam vacantiarum siue feriarum tempore, quando reliqua iudicia cessant. suamque sententiam, aut stando, aut sedendo, vti libet pro arbitrio suo pronun-
18 ciabit licet. † Extraordinarium, siue ex his mixtum, quando per viam inquisitionis super aliquo excessu pro-

ceditur; tametsi enim inquisitio redoleat naturam iuris ordinarii, ratione cognitionis introductæ, in causa ex quauis querela promanante, quatenus tamen absque accusatione per eam inquisitio intenditur, est iudicii extraordinarii. † Rursum in iure Saxonico multifariam diuiduntur iudi- 19
cia. Aliud est enim legale Burgrabiale, quod & magnum dicitur. Aliud legale expositum Scultetiale seu Aduocatiale. Aliud iudicium hospitum. Aliud oportunum seu necessarium. Aliud recẽtis seu manualis facti, quod flagrans appellatur iudicium. † Bur- 20
grabiale magnum iudicium celebrari solet ter in anno, videlicet, Vnum post festum Purificationis SS. Mariæ, die proximo, idque die ipso diuæ Agathæ. Alterum tertio die post festũ sancti Ioannis Baptistæ. Tertium in Octaua S. Martini Pontificis. Cui

quidem iudicio præſidet Burgrabius, Sculteto ſeu Aduocato, & Scabinis adſidentibus. Quodſi Scultetus ſeu Aduocatus, tali iudicio non interfuerit, mulctam Burgrabio reponere tenetur 10. libras, niſi legitimo ſe excuſet impedimento, idq́ue probet. Iur. Munic. art. 16. & 45. Tanta autem eſt authoritas eius iudicii, vt in eo citatus, remotis omnibus dilationibus, ſtatim reſpondere aſtringatur, aut affirmando, aut negando. Quodſi fateatur ſe debere, ſolutio decernitur ipſi faciẽda ad ſolis occaſum. ſi negauerit, iuramentũ ſententiatur in triduo præſtandum. Taliſmodi iudicia ante quindenam per præconem aut bedellum denunciantur, atque publicè proclamantur futura. ad quæ citatio præmitti debet, ante triduum, dum pro aliis iudiciis ſufficiat citare eodem die vti

infra. Contumax in eo iudicio pronunciatus, luet Burgrabio mulctam grossos 40. Cracouiæ & Leopoli locum Burgrabii, Præconsul vel ab eo subdelegatus Consul, ex veteri instituto in hoc iudicio supplet. Sculteti verò loco Aduocatus sufficitur. Burgrabius itaque seu eius vicesgerens, iudicium suum stato tempore instituturus, in loco iudicii celebrandi considens, cum plenaria sua residentia, primùm quæsita tria præmittit, Scultetum seu Aduocatum percõtando, an sit tempus Iudicij, num iudicium bannire expediat: vtrum in eo, quæ sunt iuris, sint demandanda, paxque indicenda? Cuius quæsitis Scultetus seu Aduocatus respondet affirmatiuè. Exinde Burgrabius indicens pacem, iudicium banniri facit ea serie. Quoniam mihi iure decretum est, tempus esse banniendi iudicii magni

legalis, & demandandi ea, quæ de iure demandanda ſunt, indicendiq́ue pacem iudicio. Extunc ego, in nomine & vigore Dei omnipotentis, & Serenißimi D. noſtri Regis, bannio vobis iudicium magnum legale, & in hoc iudicio iudico, demandoq́ue pacem omnipotentis Dei, pacem Serenißimi D. noſtri Regis, ad hoc iudicium bannitum, vnicuique iuſticia indigenti licet venire, & ab eo abire. In hoc iudicio, ſi quis pacem fregerit, impediendo alium in ſua querela, cauſiſq́ue ſuis curſu, increpatione, & aliis iniuriis, obſtaculum faceſſerit, aut contra honeſtatem iudicij concitatis verbis aliquid dixerit, vel aliquo alio modo iudicium interturbârit, vel indiſciplinatè ſe geſſerit, Iudici mulctam demerebitur: ſin armis eandem violauerit, cedet ſibi prout Deus & ius decreuerit. Poſtea Burgrabius ſciſci-

tatur ex iuniore Scabino, de nomine ipſum appellans, num iuxta iuris formam, bannitum ſit à ſe iudicium legale magnum? Cui Scabinus reſpondens, ad inſtar ſententiæ pronunciabit, rectè & iuridicè bannitum eſſe iudicium, de iureq́ue pacem indictam: quiuis (inquit) iudicium acceſſurus, acturuſué coram, vtatur ſuo iure licet. Iure Munic. art. 16. Dies deſtinata huic iudicio, ſi in diem celebrem aut feriatum inciderit, euaneſcit iudiciũ. Iur. Munic. ar. 45. Et quemadmodũ omnia iudicia, ita & hoc legale, ciues & omnes eius iuriſditionis, à ſolis ortu, ad meridiem vſque, non vltra præſtolari debent: Sobriè enim iudicia, quæ locum tribunalis Diuini repræſentant exerceantur oportet. SS. l. 3. ar. 61. Materia huius iudicij legalis magni eſt, cognoſcere de omnibus iniuriis, quæ 14. diebus ante id iudi-

cium patrantur. Videlicet de ſtupris, obſidiacionibus viæ, violenta inuaſione, Burgrabius iudicat. Cracouiæ tamen & Leopoli, Aduocatus cum Scabinis criminales actiones manualis facti iudicare ſolent. In iiſdem iudiciis, inſcriptiones, venditiones, alienationes bonorum immobilium, recognitiones debitorum, & alii multiplices contractuum nexus, explicari, recognoſci, & inſcribi ſolent. Item in eis iudiciis vt in aliis, tres contumaciæ ſuper citato obtineantur, poſt obtentamque cauſæ ruitionem, reſeruatur conuento legalis impedimenti illatio, ad proximũ aduocatiale expoſitum iudicium. prout Praxis. Denique dum Burgrabius vel quaſi, à ſuo iudicio ſurgit, iudiciũ reſignat ſuum Sculteto ſiue Aduocato, quod proſequitur & continuat à proximo die illius iudicij poſt 14. noctes. Iur. Mun.

art. 45. † Scultetus ſeu Aduocatus cum Scabinis, etiam legalia iudicia ter in anno exercet; quorum vnum vt conſuetudo inoleuit, Cracouiæ celebratur feria 6. poſt feſtum Epiphania. Dñi. Alterum fer. 2. poſt Dominicã conduct. Paſchæ. Tertium fer. 6. in craſtino Corporis Chriſti. Poſt huiuſmodi verò iudicia legalia, Aduocatus ſeu Sultetus continuat iudicia ſua de quindena in quindenam, quæ expoſita vocantur. Et ſi dies iudicialis, in diem feſtiuum aut feriatũ inciderit, poteſt id iudicium in alterum vel tertium diem tranſponi. iur. mun. art. 47. Quod expoſitum iudicium, ad inſtar magni legalis Burgrabialis banniri debet, cum ſimilibus interrogationibus, paciſque publicæ denunciationibus. In quibus practicantur & iudicantur omnes actiones, tam perſonales quàm reales, cùm ci-

uiles, tum criminales, & mixtæ. nempe ex parte hæreditatum, donationũ, succesſionum, debitorum, iniuriarũ, maleficiorum, contractuum, obligationum, & ratione quarumcumq; aliarum rerum mobilium, & immobilium. ibidem reſignationes hæreditatum, inſcriptiones donationum, omneſque & ſingulæ inter contrahẽtes, vel obligantes, recognitiones actis tenus recipiuntur. Citetur autem quis quamujs eodem die ad id iudicium, modo antequã banniatur iudicium: alioquin citatio irrita. & in hoc iudicio moralis exceſſus, mulcta 5. groſſorum & vno ſolido luitur. iur. munic. ar. 46. Aliud iudicium hoſpitum eſt, quod celebratur quouis dierum, cui non eſt opus plenario conſeſſu Scabinali, ſed ſufficiunt ad tale iudiciũ, Aduocatus & duo Scabini. Solutio hic decerni conſueuit ad ſolis occa-

ſum. SS. l. 3. ar. 46. gl. Hoſpes autē hîc ille dicitur, qui domicilium ſuum ita diſsitum habet, vt vnius diei iter, ad accedēdum iudicium, in quo quęrulatur nō ſuffecerit. Iur. Mun. ar. 46. Idem iudicium non niſi ille hoſpes adipiſcitur, qui agit contra non hoſpitem ciuem: nam dum vterq; eſt hoſpes, non tenentur coram non ſuo iudice reſpondere: niſi fortaſſe ex illis caſibus, de quibus infra, vbi de Actore & Reo. Quodſi accuſatus poſſeſſionem tantam, in ſua propria iuriſditione habet, quanta rei controuerſæ æquipolleat, neutiquam reſpondet in alieno iudicio. Iur Mun. ar. 68. Enimuero quàmlibet ſit quis alieni fori, citeturq; ad non ſuum iudicem, tamen coram comparere debet, exceptionibuſque ſuis vt iuris eſt vti, iuxta illud, in ius vocati eant. foro te para. & l. 2. ff. ſi quis in ius vocat. † Aliud 23

iudicium oportunum seu necessariũ ordinatos & præfixos dies nusquam habet, sed ad instantiam cuiuspiam aliqua necessitate, aut ægritudine, vel senio confecti, Iudex cum duobus aut tribus Scabinis, domum vrgentis cõmeat, ibidemque iudicium concepta forma bannire facit: coram quo aut testamentum conditur, aut quidquã aliud recognoscitur, aut aliquid aliud proponitur agiturque. quæ acta in tali iudicio tanti roboris erunt, acsi coram iudicio exposito bannito peragerentur. exceptis causis hæreditariis, resignationibus, alienationibusué hæreditatum, quæ tamen coram iudicio exposito iuridicè palam & li-
24 berè fiunt. † Aliud iudicium flagrans manualis seu recentis facti, quod omni tempore & die, etiam celebri & feriato, & ipso quoque Paschate celebrari debet, cum videlicet aliquis ma

leficus, crimen recenter perpetrans comprehenditur, eoque inſtanti iudicio præſentatur, ac cõtra eum, cum clamore querela intentatur, ibidemque iudicatur, & ſi fuerit ab actore met ſeptimo conuictus, illicò ſupplicio damnatur. SS. l. 1. art. 66. & l. 2. ar. 10. Sciendum porrò eſt, quod captus in manuali facto, neque ad fideiuſſoriam dari poteſt, neque vlla dilatione vti, ſtatim enim aut conuictus punitur, aut inſons abſoluitur. SS. l. 1. art. 55. & l. in quacunque. C. de cuſtodiendo reo. Neque factum ſuum nefarium talis maleficus negare poteſt, tali enim caſu propior eſt eum actor conuincere, niſi ſit inculpatus ſine querela vir, anteactæq; vitæ probæ, & bonæ famæ, extunc fauorabilior erit ius tali reo, vt euadat metſeptimus. iur. mun. ar. 71. Et quæcunque ſententia contra recẽter captum ma-

leficum feratur, non poteſt increpare illam ab eaque prouocare. SS. l. 1. art. 66. & l. ſinguli C. de accuſat. & inſcript. Quodſi iudex ordinarius abſens à ciuitate fuerit, tum manuali facto recenter emergente, pro arbitrio ciuium è medio ſui eligitur vnus iudex ad eã cauſam criminoſam excutiendam, qui & Gograuius dici ſolet. SS. l. 1. art. 55. & 56. iur. mun. ar. 45. & 47.

TITVLVS II.
De Iudicibus.

Summæ.

1. Iudicis boni qualitas emblematicè deſcribitur.

2. Iudex quo pacto in decidendis cauſis procedat, penes conſcientiam, an allegata fundet iudicium.

3. Iudices multiplices.

4. Rex ſupremus Iudex, & eius ſubſellia.

5. Iudices delegati.

6. Commiſſarij.

7. *Arbitri.*
8. *Iudices subordinarij.*
9. *Ciuitates in regno queis Iudicibus gaudeant.*
10. *Proconsules & Coss. eorumq́ officium & iuramentum.*
11. *Sculteti iuramentum & munia.*
12. *Scabinorum munus & iuramentum.*
13. *Notarius & eius iusiurandum.*
14. *Noui ciuis iuramentum,*
15. *Bedellorum iuramentum.*

OMNIS IVDEX personam iusticiæ, vel potiùs Dei in iudiciis induit, & sicut à iusticia nomen sortitur, † ita ad normam iusticiæ, æqua 1
bilancis trutina, vnicuiq, quod suum est tribuendo, non sinat se vllis affectibus corrumpi, ex integritateque & æquitate iusticiæ, citra vllam personarum acceptionem, alterum absoluat, alterum condemnet. Quapropter debet esse vir grauis, sanctus, seuerus, incorruptus, inadulabilis,

maieſtate æquitatis veritatiſque terrificus, qualem Chriſippus graphicè depingit in deſcriptione iuſticiæ apud A. Gellium lib: 14. ca. 4. Nec immeritò, vt cui ſalus Reipub. in hoc committitur, & rerum iuſta diſtributio; quem alij iura dantem ſeu dicẽtem, alij dicaſten, quaſi bipartientẽ, Ariſtot. meſodicum, hoc eſt mediiurum vocat: tantùm abeſt, vt qui ad tyrannidem, prædas, & rapinas, iam quaſi conſenuerunt, ſacratiſsimo iuris tribunali pręfici, & iudicium quod Dei eſt, vnico teruntio etiam corrũpi faciles, ignaui, ſordidi, inſaciati, contaminare permitti debeant. Alexander Imperator dicere ſolebat, ſi furem iudicem comperiſſet, ſe ei digito oculos eruere auſurum. Rectius Cambiſes Perſarum Rex, iudici ſordido, & Doricæ muſæ inhiãti; (fidem enim iuſticiæ & iudicij pro muneri-

bus mercabatur,) pellem detractam pro tribunali, eius filio in locum ſuum ſuffecto, conſpiciendam ſuſpendit. Iudiciaria itaque cum legis cuſtodia ſit, & regiæ functioni proxima, non cuiuis de lapide empto committi debet. Sed deligendus eſt uir ſapiens, non minus veritatis atque pietatis amator, ab iniuria & ſordibus alienus, qui controuerſiis dirimendis præponatur Cui ſymbolum illud, quo Simandius Ægiptiorum Rex iudicem depingi voluit, rectè conueniat, vt cuius imago, à collo, veritatis effigiem dependentem haberet, oculis pene clauſis, libriſque circumpoſitis. Et quamuis veritatis ſimplex eſt oratio, & non neceſſe ibi multis verbis, vbi in propatulo veritas ipſa liquet, ſolaque conſcientia veriſsimus iudex dicitur, arg. l. 46. ff. de acquir. hæred. tamen præſides in iudicio non

2. ſit ita † ſcrupuloſus, vt potius, quid in cauſa ſibi de ſcientia priuata & propria conſtet, decernat, quam iuxta probata & allegata, ſententiam ferat. Præſes enim Prouinciæ id ſequatur, quod conuenit eum, ex fide eorum quæ probabuntur, l. illicitas ff. de officio præſidis. Nam ſi abſque probationibus iudex poſſet iuxta ſcientiã in cauſis litigantium cognoſcere & decidere, eodem pacto deficiente accuſatore damnare eidẽ liceret, quod fieri nequit, per tex. tot rubic. C. de accuſat. Verùm iudicare tenetur ſecundùm ea quæ aguntur & allegantur in iudicio. Tutior eſt enim hæc ratio (ſecundùm Cuiat.) finiendarum litium, quam ſi obtentu ſcientiæ iudici licere permiſeris, probationum nullam habere rationem: nec enim quiſquam poteſt eſſe iudex & teſtis, l. vlt. C. de fideicomiſſ. Porrò alij

volunt melius in tali casu iudicem facturum, vt motus religione, si videat ambiguitatem in causa perplexa, vel errorem falsitatemué actionis consideret: aut personā iudicis deponat, & testis vel accusatoris suscipiat onus vt Cuiat. Obser. l. 12. c. 10. Aut causam, quam peruersis cuniculis labascere, & vehementer lædi putárit adiuuare, supplendo & proferendo poterit; si quid à ligatoribus, vel ab his qui negotiis adsistunt, minus fuerit dictum, l. vnica. C. vt quæ desunt aduoc. part. iudex suppl. Aut si bonam causam aliqua falsitate testium vel instrumentorum infringi videat secundum dictamen conscientiæ, prout religio suggerit sententiam promulgare poterit, per tex. l. eum. ff. de iudic. Siquidem nulla inde censetur partis condemnatæ iniuria, dum à iudicato prouocare potest grauatus. sin minus,

nec in-

nec incongruum eſt, quoniam poteſtati ipſius ſe partes commiſerunt, contra vtramlibet ex animi ſententia (quia de conſcientia & religione eius agitur) pronunciabit, arg. l. 3. C. de rebus dubiis. & in l. quæſitum ff. de teſtibus. Iam verò ſciendum
3 eſt iudices † eſſe multiplices. Alij Ordinarii, alii delegati, alij Commiſſarij, Subordinarij, alij arbitri,&c. Ordinarij autem iudices ſunt, qui iure ſuo ordinario per ſe veluti rex fungi-
4 tur: † Rex enim ſupremus eſt iudex omnium vbilibet locorũ. l. tanta C. de veteri iure enucl. & SS. l. 3 art. 26. Porrò iudicium Sacræ R. M. in Polonia aliud eſt quod dicitur Relationũ, in quo nihil niſi ex relatione Referendarij Regia Maieſtas pro tribunali ſedens cum Conſiliariis ſuis ordinis Senatorij, qui pro tempore lateri eius aſsident, cognoſcit deciditque, eas

dunta-

duntaxat cauſas, quæ ſunt vltimæ inſtantiæ, quæué apud DD. Aſſeſſores agitabantur, idque ſi per viam appellationis ſunt ab eis deuolutæ appellatione admiſsibili adinuenta. nam & DD. Aſſeſſorum iudicium tantæ eſt authoritatis, vt ſi nō admiſerint appellationem à ſuo decreto per partē grauari ſe ſentientem, licet interpoſitam, eādem proſequi nulli amplius eſt integrum, neque licet de proſequenda proteſtari, neque iam grauaminis vlla querela eo nomine proponi poteſt. Iudicium autem DD. Aſſeſſorum ex his perſonis conſtat: Cancellario vel Procancellario Regni pręſidente, decretumque proferente ex ſuaſu & ſententcia Referendarij, Notarij decretorum, Secretariorum quoque Regiorum ad id delectorum. Et tam ipſa Regia Maieſtas, quàm DD. Aſſeſſores in ſuis iudicijs ex cruda citatione

cauſas prouenientes, nullas prorſus iudicare ſolent, niſi aut per viam appellationis ad ſe deuoluantur, aut ex officio magiſtratus cuiuſpiã ciuitatis citẽtur. vbi tamen immenſum chaos actionum fiſci, ſpiritualium, & aliarum publicarum cauſarum quotidie ventilari ſolitarum videmus, præter eas quæ ex appellatione accidunt. Huc refer Marſchalcale iudiciũ maximæ authoritatis & præeminentiæ, videlicet præſente in Regno Regia Maieſtate. Marſchalcus enim in Polonia actiones omnes & ſingulas omnium, & ſingularum differentiarum, quæ in Curia Regis & ſub eius brachio vſuueniunt, tàm criminales, quàm ciuiles iudicat, apud quod iudicium nulli prouocationi ſeu appellationi locus habetur. Obmitto hic ſponte iudicium iuris ſupremi Theutonici Prouincialis in Caſtro Craco-

uien. per olim D. Casimirum Magnũ Poloniæ Regem locatum, vbi causæ Magdeburgenses ex appellatione ab inferioribus iudicibus promanantes cognoscũtur. Est & aliud iudicium, Commissari i videlicet sex ciuitatum, perpetui & priuilegiati, ad quos item prouocatur à iudicibus iuris Saxonici: proinde eas causas cognoscunt, quæ ex priuilegiis desuper datis sibi cognoscendæ competunt, de quibus alio in loco dicam. Quæ omnia recensita iudicia subselliora seu superioris subselij dicuntur, eò quod proximius ad Regiæ Maiestatis authoritatem accedunt, quàm alia inferiora. Et tametsi Regia Maiestas, vti dictum est, iudex sit summus, & ordinarius omnium subditorum, mereque cognitio omnimoda iudicialis, ipsum tanquam Dominum concernit, sed quia in persona sua quolibet in lo-

co eſſe non poteſt, quare loco ſui alios ſtatuit iudices, vtpotè Palatinos, Capitaneos, Gograuios, & rurſum Sculteto's, Aduocatos, Scabinos, & id genus alios. & hi per beneficium Regis, ſiue ex iure ſcripto vniuerſalē aut limitatam iuriſdictionem exercere ſolent.
5 Deinde † alij iudices delegati ſunt, quibus aliqua iuriſdictionis poteſtas competit, non per ſe, neque ex beneficii perpetui donatione, ſed tamen ex delegatione quadam, ſiue ex commiſsione ſuperioris temporaria. Horum poteſtas aliquando limitata, cum de acceſſorio, vel aliquo incidenti actionis cognitio ipſis demandatur.
6 † Vel ad multas cauſas aliquibus committitur & delegatur iudicium, vel ad vnā. Quemadmodum Commiſſariis à rege deſignari ſolet cognitio differentiarum pro limitibus diſcernendis bonorum, pro

eximendis bonis regalibus. &c. & duntaxat actus iurisdictionis talismodi iudicũ vnius diei interuallo durat, prout communiter practicatur. Item † arbitri, qui non sunt proprie Iudi- 7
ces, scilicet ordinarii, quia neque à Principe, neque ab vllo Iudice ordinario ad iudicandum committuntur: quoties itaque iudicant, tunc eam iudicandi potestatem, solummodo ex partium consensu, & ex compromissis accipiunt: neque arbitrorum sententiæ standum, nisi prius præstituta pæna super compromisso facto à partibus tenaciter seruando. c. à Iudicibus. 2. q. 6. Arbitrium verò & iudicium in eo differunt, quod arbitrium sit voluntarium, iudicium autem fertur in inuitum. l. inter stipulan. ff. de verb. oblig. Præterea omnes † iudices subordinarij electi, 8
creati, & cunfirmati, per aliquem vni-

uerſalem vel particularem magiſtratum, quibus aliqua iuſticiæ adminiſtratio à ſuperioribus eſt delegata, quales ſunt Contuberniorum magiſtri, decuriones, &c. Ciuitates † præterea ſecundùm iura Saxonum & Ciuilia viuentes, his iudicibus gaudent, (vt prætercam Comites, Burgrabios) Præconſulibus, Conſulibus, Sculteꝛtis, Aduocatis, Scabinis, tum & illis quos dixi ſubordinarios. Et primùm

10 † Præconſules, Conſuleſque ciuitatibus præficiuntur, vt earum commodo, publicæque tranquillitati conſulant, viri probi, ſapientes, adulti, legittimi, Deum timentes, bonæ famæ, veraces, arcanorum ciuilium tenaces, verbo & facto conſtantes, auariciæ oſores, munera execrantes, temperati, non temulēti, aut bilingues, non traſones, non hiſtrionicam aliquam exercentes, non ardeliones,

non

non ſcortatores, non lenones, non effæminati quorum naribus vxores lupata iniiciant,non fæneratores, aut falſarii, aut rixoſi, non homo alienæ iuriſdictionis, non ſenex effætus, qui iam octogeſimum annum exceſsit. Officium autem eſt Præconſulis & Conſulum, adminus ſemel in hebdomade, aut quoties neceſsitas poſtulârit, in prætorium conciri, publico bono prouidere, detrimento ciuitatis præcauere, ſimultates & rixas inter ciues conſopire atque ſedare, cariſtiam eſculentorum, poculentorũ-uć ne ſit in ciuitate arcere, in propolas & reuenditores falſis ponderibus, libris, menſuris, precio, alios ſubdolè fallentes animaduertere, monopolia è medio exturbare, puppillorum & viduarum iniurias propulſare, ludos noxios, & inhoneſtos, quippe aleam, teſſeras, chartas, &c. prohibe-

re. Hinc quidquid per ipsos scitum decretumque fuerit, id à tota ciuitate inuiolabiter, vt seruetur omni modo, pœnis etiam & mulctis vallatis procurabunt. Iur. Munic. artic. 43. Adhæc omnium perceptorum annuorum calculum, corã senioribus populi explicare tenentur. Iur. Munic. 44. art. & Sum. Raym. Quotannis autem, quoties super assertum officium electi & renunciati fuerint, conceptis verbis, nomine suo proprio expresso, iuxta eam formulam, iusiurandum ad sacra præstent.

Ego A. B. C. *iuro Deo omnipotenti, & Serenissimo Domino nostro Regi, ac toti communitati istius Ciuitatis, fidelis fore, & iusticiam ęque omnibus, tam diuitibus, quàm pauperibus, tam vicinis quám hospitibus, ministrare & fortificare, iniusticiam deprimere, iura, priuilegia, honorem, ac communem vtilitatem ciuita-*

tis custodire & augere, prout melius
nouero & potero, secreta Ciuitatis non
publicare verbo aut facto, dissensiones
in ciuitate non admittere, orphanos &
viduas pro posse meo defendere, nec istud
ommittere volo, causa amoris, odij, timo-
ris, munerum, vel alterius rei, sic me
Deus adiuuet, & omnes Sancti. Scul-
tetus verò seu Aduocatus taliter † iu- 11
rat. *Ego* N. *iuro Deo omnipotenti, &*
Sereniss. D. nostro Regi, & huic Ciuita-
ti, quia volo fidelis fore in iudicio meo,
& ęqualiter iudicare, tam diuitem,
quam pauperem, tam vicinum, quam
hospitem, & quod orphanos & viduas,
quę iusticiam postulabunt, defendere vo-
lo, prout meis quinq; sensibus cognoscere
& intelligere possum, & hoc ommitte-
re nolo, propter amorem, iram, timorem,
munera, vel aliam rem, ita me Deus ad-
iuuet, qui etiam venturus est iudicare
me, & vniuersum mundum. Hic au-

tem Aduocatus ſeu Sculterus, non debet ipſe inuenire ſententiam, ſed ex iuratis Scabinis, quæret de ſententiæ qualitate & quantitate promulgã-da, qui Scabini cõſultatione primùm præmiſſa, ſententiam adinuenientes ſuper re controuerſa, per ſeniorem Bannitum virum ſeu Scabinum, eandem ipſi denunciant, quâ ſic denũciata, Aduocatus demum decretũ ſeu ortilegium publicat, & partibus edicit. SS. l. 3. ar. 30. Et quia in iuramenti forma, contentum religione iuriſiurandi confirmat ſe præcuſtodi-turum, ne per iniquitatem aliquis lędatur: ſi illi ſententia à Scabinis deciſa, minus iuri & æquitati conſona eſſe videretur, repugnaretque ſuæ conſciẽtiæ & intellectui, monebit eo nomine Scabinos, vt melius de eo hortilegio diſceptacionibus mutuis diſquirant, & æquabilius in cauſa con-

cludant, vel in aliud tempus delibe-
rationis ergô, quæ eſt mater conſilio-
ru m differant. communicato eis ſuo
in ea cauſa iudicio & arbitratu. æque
enim aduocati conſceintia in iudica-
to iniquo oneratur, atque Scabinorũ
inuenientium ſententiam, quare pro-
mulgans ortilegium ſic conſueuit de-
cernere. Domini Scabini in ea acti-
one, ſic decidunt, & ego cum illis.
Scabini, qui alioquin † Banniti & iu- 12
rati viri vocantur, ſunt perſonæ in iu-
dicio aſsidentes, qui ruminatis & in-
tellectis partis vtriuſque allegationi-
bus, ſententiam iudici per ſuffragia
& vota ſua, ordinatè edunt & inueni-
unt, aperta gerentes capita, hyrote-
cis etiam à manibus amotis, togati,
inermes, ſobrij, & ſedentes. SS. l. 3.
art. 69. Quibus cærimoniis deſigna-
tur eorũ officiũ, ne iuſticiã opprimãt,
quaſique obtegãt, malitiã hominum

conniuentia ſua non demulceant, ipſi ſine vlla querela & culpa viuant, munera, quibus iuſticia peruertitur, & iudices occæcantur, poſthabeant, criminis, pro quo alium puniendum cenſent iudicantque, ſint expertes. latro enim latronem auerſari nequit. Præterea vt iudicent ex mero paterno amore, non ex rancore, aut odio, non reſpectu munerum, non temulenti, cum iudicio ſano & deliberato, non properanter. Quare ipſorum iuramentum, talem ſeriem canit: *Ego N. iuro Deo, quia in iudicio ad quod locatus ſum, iudici ciuitatis huius, & omnibus hominibus, tám pauperibus, quám diuitibus, tám hoſpitibus, quám ciuibus, volo iuſtum & rectum ortilegium inuenire & edicere, iuxta meliorem cognitionem & intellectum meum, & ſedem Scabinatus, ſecundùm ius Magdeburgen. & Priuilegia Statutáque*

ciuitatis: & hoc omittere nolo, propter amorem, timorem, iram, munera, vel aliam rem, ita me Deus adiuuet & omnes Sancti. Numerus Scabinorum Magdeburgi vndenarius eſt, duodecimus Aduocatus. Iur. Munic. art. 10. Sed hic in Regno ciuitates pro veteri conſuetudine, eum numerum minutiorem, vel eundem tenent in inaugurandis eligendiſque Scabinis. Ad banniendum iudicium ſufficiunt Scabini ſex vel quatuor, ad minimum tres, iuxta priſcum morem. Iur. Munic. art. 16. Ius autem Scabinorum iſtud eſt, cùm profertur ſentẽtia, cuilibet eorũ vnus ſolidus, Notario verò duo ſolidi dantur. Iur. Munic. ar. 11. & 16. gl. Sed & in his ſalariis, ſingula fermè iudicia diſquiparantem ſeruãt morem. ſuaderem tamen vti miſeriæ egenorum hominum cõdeſcendatur, minuanturque hæc honoraria potiùs

onera-

oneraria. ago ego pro decem, expendere autem in ius 15. debeo. quæ difficultas æquitatis quæritandæ? proch
13 dolor. Notarius † item eſt quædam pars ſeu miniſter nudus iudicii, perſona in ciuitate publica & honorifica, iureiurando adſtricta ad conſcribendum & redigendum acta, verbis planis & intelligilibus in debitã formam. nam perſpicuitas intelligibilis eſt amica legibus, obſcuritas autem, deprædatrix iuſticiæ, & legum hoſtis. l. ita fide. ff. de iure poſſeſſ. Tabellionum, ſeu vt aiunt, Notariorum publicorum in iure Magdeburgenſi, idque in Polonia, nullus fermè vſus, quia omnia ſcripta, & ex actis reſcripta, ſigillo ciuitatis communiri, manuque aut Notarii, aut Iudicis ſubſcribi ſolent. Notariuſque vices tabellionis obire conſueuit, quocirca iuratus eſt etiam, taleque iuramen-

tum

tũ præſtare ſueuit. *Ego N. iuro Deo om*
nipotenti Dominis Coſſ. & toti commu-
nitati iſtius Ciuitatis, in officio meo No-
tariatus, ad quod electus ſum, fidelis fore
& ſecreta conſilia ciuitatis, quę ipſe co-
gnoſcam, vel mihi credentur, nemini
publicabo, idque obmittere nolo, ob amo-
rem, timorem, odium, amicitiam, iram,
vel munera: ita me Deus adiuuet &
omnes Sancti. Huc adnumerari po-
teſt forma iuramenti † quod præſta- 14
tur á nouo ciue, ſuſcipiente ius ciuí-
le. quod ſic habet. *Ego N. iuro Deo*
omnipotenti, quod volo fidelis & obe-
diens fore Conſulatui iſtius Ciuitatis,
nunc, & pro tempore futuro exiſtenti,
die ac nocte, quando monitus fuero, ſe-
creta communia, & prȩcipuè quę ſunt
ciuitati vtilia, nemini reuelare, & qui
eſſet contrarius conſulibus, communique
bono & iuſticię, talem non iuuare, ſed
deprimere & conculcare, eumque non

celare, atque omnia ea facere & imple-
re, quę pertinent ad vtilitatem & au-
gmentum ciuitatis. Et si quis aliquid
iniusti contra Consules vel Ciuitatem mo-
liretur, huic pro posse meo, resistere vo-
lo. Vbi autem non possem defendere &
resistere, tunc protestatione facta, pro-
mitto id magistratui denunciare, ita me
Deus adiuuet, & omnes Sancti. † Be-
15 delli, Præcones, seu serui ciuitatis, isti
etiam quodãmodo appendices sunt
iudicum, quin potius pars quædam,
vel adminiculum, illi enim ex man-
dato iudicis, citaciones, arestationes,
sequestrationes, intromissiones, & a-
lia id genus exequuntur: quorum ta-
lis est forma iuramenti. *Ego* N. *iuro*
fidelis esse, & obediens in omnibus ne-
gotiis, vbicunque Ciuitati vel Consuli-
bus necesse fuerit, tamdiu quoad possum,
& dum cognoscam consilium secretum,
nemini illud pandam, & istud facere

non cessabo, causa alicuius amoris, odii, amicitię, vel donorum: sic me Deus adiuuet & omnes Sancti.

TITVLVS III.
De Actore & Reo,

Summæ.

1. *Actor quis vocetur, & quid faciendū ipsi ante litem expediat.*

2. *Reus quid sit, dumq; conuenitur, quid præstare debeat.*

3. *Personæ adhærentes tam actori quam reo, ad eosdem referuntur.*

4. *Casus in quibus coram non suo iudice aliquis respondere adigatur.*

5. *Actor circumspiciat personam suam ante litem, num habilis sit agendo.*

6. *Actor videat eorum personas, contra quos acturus est.*

7. *Personæ quæ in iudicio conueniri nequeunt.*

8. *Iudicis & eius iurisdictionis consideratio.*

9. *Iniuriatus ad iudicem ordinarium recurrat.*

10. *Casus in quibus potest iniuriam passus dicere sibi ius.*

11. *Iuſticia ceſſante, quiuis ius ſibi dare & dicere poteſt.*

12. *Ius ſibi ipſi dicere licet in fauorem inuidi & odium ſui.*

13. *Poſſeſſionem ſuam inueniens vacuam, eam ingredi poteſt.*

14. *Poſſeſſionem alienatam recuperare licet, ſi talis pactio interuenit.*

15 *Creditor debitorem fugientem poteſt capere, eius quoque bona aſportata eripere.*

16 *Furem noctu in ædibus meis præuentum, capere impune, non tamen occidere poſſum.*

17. *Refurari licet citra violentiam*

18. *Spoliatus continenter, reſpoliare poteſt ſe ſpoliantem.*

19. *Cloacam per meum fundum ducentem, prohibere poſſum, tum & ſtructuras alienas impedire.*

20. *Mœchum cum vxore tua in actu compertum occidere poteris.*

21. *Domum ardentem vicini demoliri licet.*

2 22. *Emptor vini ſi tempore ſtatuto emptum non acceperit, in damnum ſi quod euenerit incidit.*

23. *Pecora ſegetes meas damnificantia, abigere poſſum.*

24. *Procurator, tutor, receptor, defalcare expenſas per ſe expoſitas poteſt.*

ACTOR & reus coram iudice contendentes, explent actum iudicij legittimum. ad totalem enim constitucionem iudicii, tres tantùm personæ requiruntur, Iudex, actor, & reus. De iudicibus quandoquidem pro breuitate sufficienter tractatum est, restat vt de actore & reo hic loquamur. Et actor † quidem appellatur, qui alium in ius vocat, ad iudiciumque pertrahit. l. in tribus ff. de iudicijs. Cuius est, priusquam in arenam descendat, expendere atque deliberare de iure suo, quo actionis genere velit experiri, proposita ostendere ac probare, ne desideratis probationibus operam & naulum perdat. Cæterum qui litem instauraturus est, si apertus, syncerus, & pietatis obseruãs fuerit, non statim alteri negotium facessere prorumpet, sed prius pensabit, quidnam proximo, imo fratri quid debeat, ne 1

dum litigiis illis temerè ſtudet, impietatis reus fiat, in eoque quod temporali perſequutione quærat, æternum ſibi iudicium ad gehennam ſtruat: quin potiùs id officiũ honeſtatis primùm expediat, vt antequam aduerſarium in litem pertrahat, eum ſemel aut bis amicè conueniat, commoneatque, vt ſibi ſatisfaciat, de controuertendiſque ſecum tranſigat, æqua perſoluat, & ab iniquo ſeſe liberet. vt l. quadam Tiberius. ff. de ſeruit. vrban. præd. & l. debitorum. C. de pignor. Quod ſi id per ſe non poteſt vel non libet, per amicos tranſactũ curet, vt omnia beneuolè & moderatè potiùs, quàm odioſis litibus perficiantur.
2 Reus † in ciuili præſertim actione & iudicio, dicitur is qui in litem prouocatur, à re nomen accipiens, cui interim obnoxius eſſe videtur. Quamuis Cic. de Orat. tam a-

ctorem

ctorem quàm conuētumRei nomine appellari ſcribit: Haud diſsimiliter Reus quoque, tametſi laceſsitus iudicium ſuſcipit, quid bonum virum atque pietatis ſtudioſum deceat ob oculos habere debet, memor illius: Ei qui te velit in ius trahere, ac tunicā tuam tollere, permitte illi & pallium. Quapropter etiamſi iuſta defenſione tutum ſe fore confidat, tamen ſi fieri poterit, vt ſine tanto incommodo negocium concilietur, offendiculique viæ obſtruantur, melius eſt parumper concedere, quàm pertinaciter liti immorari. Et ita humanitatis officium, vterque expleuiſſe dicetur: ſi & ille litem cui intentaturus, bene trutinata ſua cauſa, tum commonitione citandi præmiſſa iudicium iuſtè aggredietur: & reus iiſdem tramitibus gradiens, honeſtatis & amicitiæ iura exequutus, non temerè litigabit,

 atque

atque sic actor & reus in iudicium venientes, præparatis animis disceptabunt. quoniam trāsactioni locus propter cuiuslibet partis peruicaciam, non potuit inueniri,
3 Et † quotquot personæ iudiciis accedunt, cuiusmodi sunt Aduocati, Procuratores, defensores, excusatores, syndici, æconomi, tutores, curatores, personæ coniunctæ, atque id genus aliæ, vel ad actorem, vel ad reum (adeoq; nomine alieno comparētes) referri debent. Et quamuis actor forum rei sequi tenetur l. ordinem C. de iurisd. omnium iudic. (secus in criminalibus, vbi enim quis delinquit, ibi punitur)
4 tamen casus in iure ponuntur, † quod accusatus in alieno iudicio respondere tenetur, l. si quis citetur ex alien. ff. de iudiciis. (vbi item innuitur, quod si quispiam non ad suum iudicem citetur comparere debet, cau-

ſaſque exponere, cur reſpondere abnuat) Primo. Si bona ſub illius iudicis iuriſdictione habeat, apud quē accuſatur. l. ſciens. C. vbi de crim. agi oport. & l. vlt. C. vbi in rem act. compet. Secũdo. Si ibi exceſſũ fecerit, locus enim delictivinculũ iuriſdictionis parit. arg. l. quæſtiones. C. vbi de crim. agi oport. & c. vbi. 3. q. 6. Tertio vbi quis domiciliũ habet. extr. de foro cōpeten. Quarto vbi contraxit debita, vel mercimonia exercet, reſpondere etiam ibidem cogitur. l. 1. ff. de re iudic. Quinto ratione conſenſus, vt ſi coram non ſuo iudice accuſatus, litem conteſtans, forum ſibi prorogârit, neque iudicem recuſârit. l. ff. de iudiciis. & l. 4. C. de. iuriſd. omnium iudicum. Sexto per reſcriptum principis reus poteſt trahi ad non ſuum iudicem. l. 5. §1. ff. de iuriſd. Contra, reus actorem inuitũ

ad alium iudicem per rescriptum trahere non potest, ita vt illa regula hîc non procedat. quod licet actori, licet & reo, l. 41. ff. de reg. iuris. Enimuerò † vt redeamus vnde digressi sumus, ad illã nempe cõmunicationis beneuolæ ratione͂, quæ præstabilior certè est, quàm sumptuosis litibus, crumenam cum mentis inquietudine exhaurire, iuxta illud: Melius est ante tempus occurrere, quàm post causam vulneratam remedium quæritare. l. finali C. in quib. cau. rest. in integ. non sit necess. & l. quidam Hiberus ff. de seruit. vrb. prædior. ideò litigaturus semper meminisse debet euentũ litis semper esse dubiũ, l. quod debetur ff. de pecul. Quare si quis illa sua prudenti vrbanitate, studioque honestatis, præmonendo alium nihil profecerit, neque partem à lite reflectere, inuitusq; ad processum inchoandum

andum peruellatur. Perpendat adhuc oportet prius, quales perſonas eſſe conueniat, quæ litem aliis mouere velint, deinde quas perſonas in ius trahere, & cum quibus lite contendere poſsit. Non enim omnes perſonæ ſunt iudiciales, neque omnes locum ſtandi in iudicio ſortiuntur. Primùm itaque cogitet, an ſit ipſe habilis ad agendum, aliumq́; in ius vocandum. l. 1. & 2. C. qui legit. perſ. ſtan. in iud. hab. vel non. Inhabiles enim ſunt ad lites intentandas, Excommunicati, irregulares in ſpirituali iudicio, pupilli, minores, filij in poteſtate parentum, vel in curatela conſtituti, banniti, capite diminuti maximè & magis, infames, &c. qui itaque litem alteri intentare cupit, cogitet quo pacto ſi ſit inhabilis, curet fieri habilis, niſi velit inhabilis pronunciari, & ab agendo reijci. Sed neque ſuam tantùm

perſonam litigaturus perſpiciet, num
6 ſit habilis agendo, ſed † & illorũ con-
tra quos litem mouere cõtendit, num
item ſint habiles, vel an tales ſunt,
quos in ius trahere natura ipſa vetat,
prout pater, mater, patronus, tutor,
ſuperior,. Nemo enim patrem aut
matrem (ſiue ſint legittimi ſiue natu-
rales) in ius trahere poteſt, ſed neque
patronum libertus, nec dominum ſu-
um vaſallus, nec quiſquam ſubditus
ſuperiorem, nam cui reuerentiam &
honorem debet, eum non citet, ne-
que in ius vocet, niſi prius venia ſpe-
ciali ſuper eo à iudice petita, l. vltim.
C. de in ius vocando, & l. 1. & 2. C.
eod. titulo, & l. finali C. eod. Pæna
talium euocantium patrem, matrem,
patronum, &c. 50. aureorum euoca-
to ſuperiori adiudicãda deſcribitur,
in § pænales Inſtit. de actionibus. &
ſi non habeat inære, luat in corpore,

l. finali ff. de in ius vocan. Sed nec pupillus, † aut minorennis, filiusfa- 7
milias in cautela constitutus, absque assistentia & authoritate suorum superiorum, vxor non mercatrix, citra assistentiam mariti, trahi in ius possunt. Quin nec vidua, nec hæredes propinqui, aut affines, cõiunctiué defuncti, occasione debiti, aliarumque rerum hæreditatem concernentium, possunt citari in ius ante spacium nouẽ dierũ: post mortẽ defuncti l. final. C. de sepul. violat. Communius obseruari consuetum est, quod non conueniantur hæredes, post mortem defuncti, intra tempus cõcessum, ad inuentarij confectionẽ, l. fin. § donec tamen, C. de iure deliber. Inuẽtarium verò confici debet ab hæredibus 30. die, à tempore diei defuncti, vel etiam à tempore hæreditatis aprehensæ, SS. l. 1. art. 6. Insuper li-

8 gaturus † circumſpiciat vlteriora ſui proceſſus,an iudex ſit competens coram quo agendum eſt, an idoneus, num foro illi aut iuriſdictioni aliquis inſit defectus, malo enim fundamento iacto, deſuper fundata omnia corruunt, c. ſi diligenti ext. de foro competent. Præterea acturus in iudicio contra aliquem, perpendat actionem num ſit certa, quomodoué ſit intentanda, ſcilicet, an mutui, an debiti, an poſſeſſorij, non enim poſt actionem intentatam dabitur locus, vt in authent. qui ſemel, C. quomodo & quan. iudex, ſent. profer. deb. Quē tramitem agendi dum quis amplectitur, non peccat contra iuſticiam & præcepta eius, ius ſuum vnicuique tribuere ſuadentia. § 1. Inſtit. de iuſt. & iur. Iuſticia enim tribuit dignitatem vnicuique ſibi competentem, Deo religionem, parentibus & præ-

cepto-

ceptoribus pietatem, maioribus obseruantiam & obsequium, paribus amicitiam & concordiam, minoribus virtutum exemplar, sibique castimoniam & innocentiam, pauperibus commiserationem, stipemq; elemosinariam. Tametsi autem si quis læditur, † affligitur, grauaturué ab ali- 9
quo, non debet statim ad vindictæ talionem proruere, aut ex furore ad cędes & homicidia sese armare, verùm læsus, afflictus, iniuriamque passus, non ad quemuis iudicem, sed tamen ordinarium, pro iniuria sua aduersarium citet, cui vim causamque offensionis modestè explicabit, & ab eodẽ læsionis restitutionẽ cum compẽsatione damni postulabit: tamẽ aliqui peculiares † casus in iure comperiũ- 10
tur, in quibus iniuriatus, non quæsita iudicis authoritate, sibimetipsi iustitiam administrare, iusque dicere po-

test. Primò, iuxta illud vulgatum: Iu-
11 sticia cessante, † quiuis sibi ius facit & dicit. ita licet fieri, quando non in consortio ciuium in solitudine, vel quouis alio loco iniuriam quis patitur, vbi iudicis competentis copiam non potest habere, l. si quid possessor ff. de petitio. hæred. & l. generali, C. de decurion. Vel quando magistratum adire nequit, & ita in defectum iudicis, licèt alicui facere se iudicem, vt notatur, in l. nullus, C. de Iudæis.
12 Deinde permittitur † alicui sibi ius dicere in odium sui, & in fauorem inuidi, id est, contra quem vult sibi ius dicere, l. si quid possess. ff. de petic. hæredit. Præterea qui † possessionem
13 suam inuenit vacuam aut vacantem, is eandem potest propria authoritate ingredi, & se in pristinam possessionem optimo iure asserere & constituere, l. prima, ff. quorum legat, l. si

quis

quis ſub hoc, ff. de contrac. empt. & vendit. Item ſi partes † inter ſe con- 14
traxerint, eoque pacto conuenerint, vt res authoritate propria, ab alterutro prius pænitēte recipiatur, extunc prius pænitens, abſq; authoritate iudicis, eandem rem acceptare poteſt, & ingredi in eam poſſeſsionem, ſua propria authoritate, l. pignore, C. de pignorat. act. & d. l. ſi quis ff. de contrah. empt. Adhæc creditor, ſua propria authoritate † poteſt debito- 15
rem fugientem, aut fugam apparantem, qua ſui crediti debiti ſolutionem defraudaret, capere, comprehendere, carceri prætorio illicò tradere, vel ſaltem intra 20. horas, vel vt alii augurantur, infra 6. cōmittere, vt Bart. & ſequaces in l. c. quin. ff. ad l. Iuliam de adult. & ſtupr. aſſerunt, dicuntq; creditori licere debitorem taliter fugientem non ſolum intercipere, ſed

etiam ea ab eo eripere, quæ ſecũ fraudulenter aſportauit, l. ait prætor. § ſi debitorem. ff. quæ in fraudem credit.
16 facta ſunt. Sed & furem † nocturnũ in ædibus ſuis præuentum licet capere, non tamen occidere, niſi aliud quid defenſionis cauſa ſuaderet, l. itaque ff. ad l. Aquiliam. c. ſi perfodiens, & c. ſuſcepimus. extr. de homi-
17 cid. Impunè etiã † aliquis rem clam aut apertè, quampiam ſibi prius furatam, refurari poteſt, modò in eo actu vim aut violentiam non committat.
18 Spoliatus quoque † poteſt ſpoliatorem ſuum ſtatim & continenter (ſi id commodè faciat) deinceps reſpoliare, ſpoliataque ab ipſo eripere, quod in tali caſu, ex iure naturæ & gentium vim vi repellere licet, l. vt vim. ff. de iuſt. & iure. & l. prima. § vim vi. ff. de vi & vi arm. l. ſcientiam. § qui cum aliter. ff. ad l. Aquiliam. c. ſignificaſti

de homicid. c. si verò. de sentent. excom. Neque frustra hîc additur, statim & continenter, nam si talis vendicatio & respoliatio, per longũ temporis spacium fieret, crimen saperet, vt l. idem. est. § cùm igitur. ff. de vi & vi arma. Et debet talis respoliatio fieri (supposito eo continenter & statim post crimen spoliatoris recens, dum ad alios actus extraneos adhuc non diuertisti, quibus refrixisset tuus animus) cum moderamine inculpatæ vindictæ, nimirum æquali repulsione, l. prima. § vim vi. ff. de vi & vi arma. & cap: vnde vi, &, c. vt fama. § vltim. de sent. excommun. Item cloacam † aut aliquem aquæductum per 19
fundum meum ducere volẽtem, propria athoritate prohibere possum, l. quemadmodũ. ff. ad l. aquiliã. Huc refer, quod si quis aliquod nouũ opus erigeret in fundo meo, quẽ actu pos-

ſideo, poſſum illud opus ſine aſsiſtẽtia iudicis, deiicere & impedire. Itẽ, 20 ſi quis mœchũ † cum vxore mœchãtem in actu comperiſſet (ſi commoditatem videat) occidere poteſt. Sed ſi tum mœchus effugiſſet, non poteſt poſt duos aut tres dies maritus ille mœchum quærere, lædere, aut occidere, alioquin reus criminis cenſeretur: quia furore ſedato, propriã quæreret vindictam, quæ poſt tantùm temporis interuallum ſoli iudici, cui id deferre potuiſſet, adminiſtranda iuſticia congruebat. Nihilominus ſi dictus maritus talem mœchum cum ſua vxore, poſt illam deprehenſionẽ carnalis actus, elapſis aliquot diebus, ſedato iam furore, extra etiam actum fædum, tantùm vna colloquentem viderit, non quidem eum occidere poteſt, ſed capere, apprehenſumque iudiciali carceri tradere, & ordine iuris

pro iniuriis illatis contra eum procedere. in authen. vt liceat matri & auię. § his quoque. & § sequen. Colat. 9. & l. pater. l. quod ait lex. ff. ad l. Iuliam de adult. & stupr. Domum † etiam 21
vicini ardentem, aut incendio certo arsuram aliam proximam, propter domus meæ periculum euitandum, & defēdendū, liberū est mihi authoritate propria deiicere ac demoliri. l. si quis § quod dicitur ff. ad l. Iuliam. de vi publ. & priuat. Nota hic tamē, quod si aliquis domum vicini sui demoliretur, nullo stramine tectam, & à periculo ignis apparenter tutam, vel dolus eo nomine aliquis inesset, ad damni reparationem teneretur. l. si alius. § est & alia. ff. quod vi aut clam. Quodsi ex causa data vel negligentia vicini tui domus tua arderet, furiisque percitus, ipsum incendii ansam dantem, in mediam flammam

iniiceres, vtique à crimine immunis iudicarêre, ſiquidem omnis offenſus, ſi quid iracundiæ primo actu perturbatus, bili ebulliente patrauerit, à vindicta videtur excuſandus. l. 2. § quod ait prætor. ff. de incen. rui. naufrag.
22 Emptor quoque † vini, ſi à venditore debitè præmonitus, vt ſuo & conſtituto die vina empta recepturus veniret, iſque non veniret ad recipiẽdam traditionẽ vini, eo caſu venditor poſſet relinquere vina, periculo & damno emptoris. l. 1. § licet. ff. de peric. rei vend. Necnon † pecora aliorum,
23 quæ reperio in mea ſegete, aut pratis, vel fructibus meis damnum inferentia, poſſem illa propria authoritate capere, abigere, & tenere, donec ipſi domino, ad quem dicta pecora ſpectant ſignificârim, proteſtatuſq; coram fuerim: non verò poſſum ea retinere in pignus, aut loco pignoris,

aut iu-

aut iure retentionis, donec mihi ab illo satisfactum sit, id enim si quis faceret, speciem furti committeret, & damnum damno, furtumque furto compensaret, quod non est licitum. l. quamuis. ff. ad l. Aquiliam. Deniq; Procuratores† & negociorum patro- 24
ni, possunt propria authoritate expẽsas per se factas retinere in soluto lucrato. l. quæ omnia, § finali ff. de procurat. & l. debitor. ff. de negoc. gest. Item quoque receptores, & tales similes personæ possunt retinere id, quod ipsis debitũ est pro salario siue stipendio. Item ratione ministerii, officii, tutelæ, vel curatelæ, quã quis administrauit, potest tutor vel curator sibi ius dicere & facere in retinendo, aut retineri faciendo id, quod expendit & exposuit, in puppilli vel adulti tutelam vel curam, modo id ipsum etiam constet. l. quotiens § sicut.

ff. de adminiſtr. tuto. & l. fiſtulas § 1. ff. de contrahen. empt. & l. creditorem C. qui dari tutores vel curatores poſſunt.

TITVLVS IIII.
De Citationibus.

Summæ.

1. *Citatio quid ſit.*
2. *Citatio in nullo proceſsu ommittenda.*
3. *Proceſſus ſine citatione nullus.*
4. *Saxonici iuris diſpoſitionem de citationibus praxis Curiæ ſequitur.*
5. *Citationum diſtinctiones.*
6. *Citatio literalis quæ ſit & eius formæ aliquot.*
7. *Citatio violenta ſeu realis quid.*
8. *Citatio per edictum qualis.*
9. *Citatio per proclama quibus ex cauſis oriri ſoleat.*
10. *Citatio edenda iudice conſulto.*
11. *Citatio omnis debet eſſe ordinata.*
12. *Citatio vicioſa ad comparendum non obligat.*

Cuiuſli-

CVIVSLIBET actionis, Processúsque iudiciarii, in forensi litigio dirigendi, citatio est primarium fundamentum. Est autem † citatio Rei ad 1
Iudicium iuridica vocatio, quę si ommittatur, totum subsequentem processum corruere necesse esset. Proinde omnis progresſio, status, & ordo iudicij à citationis edicto actus suos exorditur, perinde atque à base quadam instituēda actio fundari incipit, ne in absentem † & in ius non voca- 2
tum, machinari quidquam agens censeatur. Quando Deus quoque omnipotens, in Adamum protoplasten illum, nisi vocatum pro trāsgresſione mandati pænam statuere nolebat. c. nos in quenquam 2. q. 1. & c. Deus omnipotens ibidem. Quamobrem nec rex, nec princeps, potest ommittere citationē, vel defectū citationis supplere, etiam contra subditum su-

um, quia hoc eſſet tollere in iudicio defenſionem ſui, quæ tamen eſt de iure naturali; vt in iudicio, altera auris actori, altera reo relinquatur. Quod adeò verum eſt, vt ſi aliquem accideret intereſſe iudicio ex alia cauſa, non autem ex citatione, proponereturq́; quidquam contra eum, eo caſu non tenetur reſpondere, imo fingitur abeſſe, & habet ius remeandi domum, quoties ſine citatione litigare non
ε vult. l.2.ff. de iudiciis. † Proceſſus enim ſine citatione eſt nullus, & initium eſt cuiuſuis proceſſus in ius vocatio ſeu citatio, per textum § fin. inſtit. de pæn. tem. litig. Quare & in Curia Regali, anno 1591. feria 4. poſt feſtum Viſitat. Beatæ Mar̃. Virg. inter Rudgerum Azbi plenipotẽtem Iuſti Hollant ciuis Gedaneñ. & Magiſtratum Ciuitatis eiuſdem decretum fuit, vt citationes in omnibus actioni-

bus, à iudicibus præmitterentur, cùm citacionibus & exceptionibus, vti cuilibet integrum sit. Ius autē Saxonicum † cui & praxis Curiæ Regalis, 4
hoc in passu subscribit, tradit, vt si prę sēs in iudicio litē suscipere detrectet, detur ipsi dilatio, ad proximum iudicium. vt SS. lib. 2. art. 2. his verbis: *Agat autem quis contra presentem, & actio in eius proprietatem, aut fundum pretendatur, si bona fide possidet, ipseq́ si dixerit propter hoc sibi terminum non esse prius assignatum, vsque ad proximum iudicium inducietur: in secunda vero actione, si legitimum adueniens iudicium induciarum gratia petierit, hoc erit ei concedendum, postea respondebit.* Nisi impossessionatus, aut manualis facti querela onustus, ex tacto, vt aiūt, termino, respondere cogatur. Triplex autem † est citatio, Vocalis seu 5
verbalis, literalis, & realis seu violen-

ta. Vocalis ſiue verbalis eſt, quæ fit viua voce verbaliter per iudicē, dum partibus præfigit terminum ad comparendum pro die certa, vel per bedellum, nuncium, aut præconem iuratum, quando conuentum adire ſolet, verboq́ue citare pro die, hora N. 6 ad inſtanciam N. Citatio † literalis, quæ fit per literas iudicis, quas ex mādato eiuſdem, præco defert reo, cum præfixione termini, quali citatione homines venerandi vel officiales, honeſtatis ergô, vt plurimū, conueniuntur, quod potiùs conſuetudini, vel plebiſcitis, priuilegiiſué ciuitatum ſtatur. Vel etiam nobiles, ex bonis Ciuitatis quæ poſsident, ita citantur. *Nobilis vel famate N. N. dignemini coram iudicio noſtro Ciuili N. quod feria N. ante meridiem celebrabitur comparere, ad inſtantiam famati N. N. Datum A. B. die C. ſub ſigillo Aduocati Ciui-*

tatis

tatis D. E. Aliquando iudex confert facultatem citandi miniſteriali Terreſtri iurato, perſonas abſentes, bona ciuilia poſsidentes, tali reſcripti ſerie. *A. B. Aduocatus iuratus Ciuitatis C. ſignifico tenore preſentium vniuerſis & ſingulis, quia ad inſtantiam D. contuli & preſentibus confero omnimodam facultatem, & authoritatem, prouido E. miniſteriali terreſtri iurato exhibitori preſentium, vt ipſe preconis officio functus, perſonaliter accedendo nobilem F. G. ad inſtantiam prefati D. qui ſibi actionem, coram iure ſeu iudicio noſtro Ciuili intentare proponit, occaſione debiti vel hereditatis &c. hic in Ciuitate noſtra ſite pro feria H. I. K. ſibi terminum prefigens & aſsignans, vt hora & loco iudicij conſueti legittimé compareat, & ad queuis obiicienda, iure Ciuili noſtro reſponſurus, alioquin contumacia illius non obſtante ad id quod iuris fuerit pre-*

cedetur. In cuius rei fidem & teſtimonium ſigillum officij mei preſentibus eſt ſubimpreſſum, Datum L. M. N. &c. Sed tales collationes facultatum preconibus citandi rarius vſurpantur. Potius enim in bona Rei etiam abſẽtis citatio deferri conſueuit, & familiæ vel vſufructuariis eorundem ipſius bonorum publicari & denunciari, qui domino ſuo non ignari vbi lateat de citatione certius intimarēt. Nunc item ex praxi communi in cauſis ciuilibus & Magdeburgeñ. tales plerunque video citationes contexi.

Aduocatus & Scabini Ciuitatis, A. B. tibi C. D. de omnibus bonis tuis mobilibus & immobilibus, habitis poſſeſſis, & te quouis modo & iuris titulo concernentibus, iurisdictioni noſtrę obnoxijs, vigore Regio & noſtra qua in hac parte fungimur authoritate, mandamus, vt coram nobis ſeu officio, iudicioue noſtro

die E. F. horis antemeridianis in loco residentię iudicij nostri, personaliter legittime, & peremptoriè compareas ad instantiam G. H. J. qui te citat pro eo, quia tu nescitur quo spiritu ductus (exempli gratia) mille florenos Polonicalis pecunię, quemuis & singulos, 30. grossis numerando & computando, liquidum & mutuatum debitum, per te retentum, & pro tempore certo iamq; elapso soluere certa syngrapha literaria, tua manu subscripta & sigillo consignata, inscriptum & obligatum, eidem actori non persoluisti & hucusq; renuis persoluere, faciens id in graue damnum & pręiudicium actoris ipsius, quod sibi contra te taxat ad mille florenos Polonicales, totidemq; damni, vel prout iudicium nostrum decernet, quę omnia in termino aduenienti latiùs & fusiùs tibi deducentur, & declarabuntur, sis in pręmissis iudicialiter, terminum attentaturus & 21

reſponſurus, aliâs contumacia tua non obſtante id quod de iure competierit, contra te procedem⁹ & decernem⁹. D. &c.
7 Violenta ſeu † realis citatio, non niſi in criminalibus, vel cõtra impoſſeſsionatũ Odardũque permittitur, cùm quis in perſona ſua capitur, & ad iudicium inuitus ducitur. Eſt & alia
8 citatio † ad inſtar mandati iudicialis, eaque per edictum citatio vocatur, eatenus autem talis citatio editur, dum quis neque literali, neque vocali aut verbali citatione præoccupari poteſt, aut proprio domicilio caret, aut locus in quo manet eſt periculoſus, aut dum aduerſarij ſunt ignoti, vel perſona fugitiua. Extunc citatio inſtar mandati ſcripta, cum expreſsione termini, pro vigeſima, vel trigeſima die, in foribus prætorij, vel porta, aut aliquo loco publico, ſeu in ianua domus illius conuenti, ſi eam ha-

bet af-

bet affigitur. Bedellus exequens huiuſcemodi citationis affixionem & publicationem, debet relatione ſua iudiciali, recognoſcere talem citationem ſe in publico affixiſſe, & multis audientibus denunciauiſſe. Eſt
demum † alia citatio, per proclama 9
fieri ſolita, quæ ex eiſdem ferè cauſis, quæ per edictum promanare videtur. Vel dum quis hæreditatem defuncti, in debitorum iuſta æquipollentia, prout ipſe eam ſortitus eſt, creditoribus cedit; publicatur id cum præfixione termini ad trimeſtre tēpus. Vel quando quiſpiam, in bona ſibi reſignata, officioſè intromittitur, talis immiſionis denunciatio, per proclama à bedello publicatur. ſi & in quantum aliquis impedire præſentem reſignationem de iuris forma poſsit. O-
mnis autem † citatio cum conſenſu 10
& voluntate iudicis edi debet. hinc ſi

quis alium citare voluerit, iudicem primùm adeat, causam suam ipsi explicet, pro qua ligaturus est. Admittet tandem iudex citacionē per præconem exequendam, & consignabit vtrumque, tàm actorem quàm reum. & si ante litem motam partes transegerint, iudici id tenentur denunciare, cum significatione gratuita, Iur.
11 Mun. ar. 47. Et omnis † citatio debet esse legittima, ordinata, non erronea, nam si eam conuentus per exceptionē iuridicam submouerit, & inordinatā vel viciosam ostenderit, per consequens terminus ex illa dependere visus euanescet. debet autem fieri, intra ortum & occasum solis, non in die feriato vel celebri, non noctu, non domi alienæ, sed in domicilio citandî, vel in alio loco congruo & honesto. non in templo, non in cimiterio, non in Curia Regis, non in

nuptiis, non in tabernis publicis, non in balneis, non in proſtibulo. Quod ſi citatio † his vel aliis legittimis defectibus laborârit, vicioſaque aliqua ex parte fuerit & inordinata, citatum ad comparendum non obligat, & ipſo iure eſt nulla, l. ea quæ C. quomodo & quan. Iud. ſent. profer. deb. Nam paria ſunt in iure aliquid non fieri, & perperã, inordinatè, vel vicioſè fieri, l. quoties. ff. qui ſatiſdare coguntur. Ideo de communi praxi ſeruari ſolet, vt quoties inordinata vel vicioſa citatione reus citatur, toties à termino ſit immunis. Quamuis & in tali caſu, citatus inordinata citatione, ſatiùs fecerit, ſi pro termino comparuerit, & illam citationem tanquam illegittimã elidens, ſe á termino liberari obtineat. 12

TITVLVS V.
De Contumacijs.

Summæ.

1. *Contumax quis ſit.*
2 *Contumax quibus pœnis ſit obnoxius.*
3 *Contumacia trina in Iur. Sax. requiritur.*
4. *Lite conteſtata in Contumaciam partis, ſententia definitiua fertur.*
5. *In actionibus realibus & perſonalibus qualis contumaciæ vſus.*
6. *Primum & Secundum decretum quid dicantur.*
7 *Contumacia actoris grauior, quàm rei.*
8. *Actore contumace, quid reo faciendum.*
9. *Abuſum contumaciarum author execratur*
10 *Modus procedendi, contra reum contumacem.*

CONTVMACIA quaſi quædam
1 inobedientia dicitur. † iſque contumax pronunciatur, dum aut citatus non comparet in iudicio, pro termino, ſeu ex citatione, ſeu à iudice co-

ram præfixo & insinuato: aut etiamsi comparet, dum renuit respondere, aut rebelliter recedit à iudicio, aut, quominus eum pertingere possit citatio, latitat, aut ad mandatum iudicis non restituit, non exhibens, non reparans, aut quoquomodo voluntati iudicis renitens, intentoque actoris iuridico imponens, vt SS. l. 1. art.
70. His autem † pœnis contumax af- 2
fligitur, quod mulctam iudici pro non comparitione præstare, actoris expēsas & damna refundere, pignora luere, possessione bonorum processu oneratorum exui, adextremum etiam proscribi solet. Tres † autem contu- 3
maciæ de iure Sax. requiruntur, SS. l. 3. ar. 39. in verbis. *Qui in iudicio incusatur, & si vt respondeat à iudice ei præcipiatur, si non responderit, vel se de iure respondere non monstrauerit, tunc mulctaturus sententiatur,*

quod

quod etiam in ſecunda & tertia vice pronunciatur, & ſi adhuc non reſponderit, tunc in actione eſt ſuperatus & art. 5. per tres quindenas autem citetur, is qui res alij conceſſerat, &c. & l. 1. art. 70. Conqueritur autem quis tribus vicibus ſuper bonis, &c. & multis in aliis locis clarè probatur, trinã contumaciam exigi, ad condemnandum in re controuerſa reum. Quẽadmodum & in Curia Regali, Anno 1591. inter Prędocina & Ptaſzkowic ciues Sendomirienſes deciſum fuit.
4 Quod ſi reus † lite conteſtata contumax extiterit, extunc ſi cauſa liquet, poteſt in contumaciam ipſius ferri ſententia definitiua, cuius exequutio demandabitur in rebus & facultatibus ipſius, ita vt etiam reuerſus appellare non poſsit, nec recuperet poſſeſſionem, etiamſi cautionẽ præſtare paratus ſit, per tex. in l. properandum.

§ ſinau-

§ sin autem reus. C. de iudiciis. quod intellige † dum in rem sit actio, tum 5
eatenus missio fit in possessionem totius rei debitæ. quando autem agitur actione personali, pro mensura debiti, actor in quotã bonorum rei intromittitur, vt in Authent. & qui iurat C. de bon. auth. iud. possid. Et in † tali- 6
bus immissionibus in bona, a iurisconsultis vocantur decretum primum, decretum secundum. quorùm potiùs in iure ciuili vsus est. Decretum primum, dicitur prima missio in bona contumacis, l. 2. § prætor ait: in bona eius, qui iudicio sistendi causa fideiussorem dedit, si neque potestatem sui faciet, neque defendetur, iri iubebo. ff. quib. ex cau. in poss. eatur. At in actione reali missus in bona, fit verus possessor rei debitæ, l. si quis empt. § sed & si quis. C. de præscript. 30. annorum. In actione personali, so-

la detentatio bonorum citati acquiritur custodiæ causa, l. cùm legati. ff. quib. ex cau. in poss. eatur. Decretũ secundum, est secunda misio per iudicem facta, contra eundẽ reum perseuerantem in contumacia, & hæc non solùm transfert veram possessionem, sed & rei dominium, vel vsucapiendi condicionem, vt gl. in l. 2. ff. si ex nox. cau. agatur. & l. prætoris officium, ff. de damno infecto. & circa hoc secũdum decretum missionis in bona, debet causa liquidari, & probari per testes vel instrumẽta, & id gen⁹ alias probationes. Quales † contu-
7 maciæ citatorum seu reorum, etsi plurimis sæpenumero damnis, & incommodis, mulctis etiam contundantur & affligantur, tamen actoris contumacia, quæ maior est, quàm Rei duriùs coerceri consueuit, l. properandum § etsi quidem, C. de iudiciis. vbi

docetur, quod iudex ob non comparitionem actoris, ad cognitionẽ causæ procedere, eumque non tantùm in litis expensis, sed in amisione causæ condemnare potest. nam iniustè agere recusat, qui paratus aduersarium suum ad iudicium vocauit, cum excusatio hæc pulsato citato, magis quàm actori conueniat. dicit Lex Nouel. Constit. 112. cap. omnem. 3. Quod ita praxis in Regno continua seruat, dũ videlicet † ante litẽcontestatam, reus actore contumace existente, comparet in iudicio, à termino & citatione duntaxat se liberum pronunciari postulat. Post litem verò contestatam, quia tàm actori quàm reo, terminus est peremptorius, actor contumax, sicut reus non sistens, in amisione totius causæ cõdemnatur. Qui enim post susceptum iudicium incæperit respondere, si alius termi- 8

nus ex sententia iudicis præfigatur, & in eo non comparuerit, tanquã victus condemnetur, SS. l. 2. ar. 9. quod tam de actore quàm reo intelligendũ est.
9 Quamuis † Cracouiæ, & aliis non paucis locis iudiciorum video, nescio quo vsu seruari, vt etiam post litem contestatam, trina citatio, & terna demum contumacia, super condemnando perduci necessitetur. Quod potius fortasse turba ferendariorum, pro quolibet termino frequẽtato deposcẽs litigantiũ clientulorum sportulas, in vsum induxit. quod sanè vti damnosum iusticiam præstolantibus, iudicibus tædiosum, à iusticia ipsa alienissimum, rescindendum suaderem, & ad normam iuridicam, vti dictum est, retorquendum.
10 Hic † autem modus seruatur contra contumacem reum procedendi: Si reus legittimè citatus, in primo termino non com-

paruerit, actor denunciando id iudici, inſcribi actis, (probans illicò citationem eſſe legittimè exequutam relatione bedelli) contumaciam petet, cum facta inſinuatione, ſubſtantialis qualitatis, quantitatiſué actionis, ſeu debiti, pro quo reum conuenit. Similiter in ſecundo termino, ex ſecunda citatione, cum relatione bedelli, denunciata itidem iudici contumacia conuenti, actis tenus inſcribi curabit contumacem reum. Item in tertio termino, cum eiſdem circumſtanciis, SS. lib: 1. art. 67. Vſu autē receptum eſt, quod præuento cumprimis ſemel reo perſonaliter, citatio pro reliquis per denunciationem tan tùm poterit interponi, vt gl. SS. lib. 2. ar. 14. Iam verò dum citatus tertiò non comparet, iudex illum (examinatis prius, num ſint legittimè obtentæ, trinis contumaciis) in ſuccubitio-
 ne ſeu

ne ſeu ruitione cauſæ condemnabit, reſeruata ipſi ad quindenam illatione legalis impedimenti. Quodſi citatus adueniente etiam termino duarũ ſeptimanarum, legale non intulerit, pignoratio bonorum citati, in rei controuerſæ valore, æquipollens decernetur. Talem verò pignorationem iureuictus denegans, videlicet aliquã rem non extradens, quæ debitum iure lucratum valeret, aut etiam poſſeſſionatus non eſſet, realiter vt citetur, deducaturque ad iudicium, & detineatur tantiſper, donec actori in re lucrata ſatisfaciat, SS. l. 3. ar. 33. Ratione verò bonorũ immobilium, tali per ductum contumaciarum proceſſu obtento, actori intromiſsio in bona controuerſa decernitur, quæ iureuictor anno & die tenebit pacificè, vel vltra ad ſatisfactionẽ ſibi pro re litigioſa præſtitã, SS. lib. 1. art. 70. In

criminalibus tamen, contra contumacem cõuentum non debet ita statim ad condemnandum procedi, antequam aut conffessata ipsius, aut iuridica cõuictio, præexistentibus etiã indiciis, cõiecturis, & præsumptionibus, SS. lib. 3. art. 39.

TITVLVS VI.
De legali impedimento.

Summæ.

1. *Cur illatio legitimi impedimenti in iure inuenta sit.*

2. *Quatuor causæ generales legalium impedimentorum.*

3. *Alij casus*	*Inundatio captiuitati.*
4. *illis quatuor*	*Spoliatio seu amissio equi ægritudini.*
5. *adæquã-*	*Mercantiæ extra regnum peregrinationi.*
6. *tur.*	*Obsequium domini publicæ expeditioni.*

7. *Legittimè impeditur, qui metu hostium, aut talismodi aliarum importunitatum non cõ-*

8. *Causæ impedimentorum legalium non sint friuolæ.*

9. *Iuris Saxonici in inferendo legali impedimento dispositio.*

10. *Praxis communis, quam Iudic. Cur. Reg. sequitur, ratione legittimi impedimenti inferendi.*

ALTERA partium pro termino peremptorio, in iudicio, non comparente, altera in præiudicium partis absentis præsens, sententiam iudicis
1 pro se militantem † exposcere solet; ita vt actor quidem reo non comparente, contumaceque in peremptoriis existente, ipsum in ruitione causæ totius condemnari obtineat. Reus verò actore non sistente, eundem in amisione causæ succumbere, se verò, vt aiunt, in euasione liberum pronunciatũ habeat. Quare fit plerumque, vt cum necessariis & iustis occupationibus, altera pars distenta in iu-

diciũ venire nõ potuit, neque termino peremptorio ſtare quiuit, legalium impedimentorum ſuorum cauſas poſtea explicare neceſſe habuerit, iuris prouidentia cautum eſt. Quatu-
or autem † cauſæ generales in iure 2
recenſentur, talis impedimenti legittimi, vtpotè captiuitas, infirmitas, peregrinatio extra fines terræ, & publica expeditio. quamuis in his quatuor, aliæ omnes cauſæ legittimæ includuntur, quæ aliquempiam excuſare poſſunt, antidotumque cauſæ ſubminiſtrare, per contumaciam ſubruenti, ſicuti eſt equi amiſsio, inundatio, negociatio, & aliæ id genus talium impedimentorum ſpecies, de quibus tractat gl. SS. lib. 2. art. 7. Vbi alij ca-
ſus adferuntur † qui adæquari ſolent 3
illis quatuor, vt inundatio adæquatur captiuitati, quia ſicut iſta, ſic illa impedit animum tuum, quominus poſ-

ſis id quod velis, captiuitas enim eſt impeditio propriæ voluntatis, vt §1.
4 Inſtit. de iur. perſon. Item † ſpoliatio ſeu amiſsio equi, ægritudini corporis coæquatur. Similiter † qui in
5 mercimoniis exercendis, cauſâ quæritandi victus, extra regnum, vel peregrè exiſtat, is honeſto operi inſiſtens, in obſequio Dei videtur eſſe, quare refertur ad peregrinationem. Præterea
6 qui † in obſequio ſui domini occupatur, in obſequio imperij eſſe dicitur, quia obedit illi, quem imperium ſibi præpoſuit, & videtur is obedire imperio, qui obſequitur poteſtatem ab imperio habenti, l. Deo authore. § his itaque. C. de vet. iur. enucl.
7 Idem procedit † dum quis in litem vocatus, propter hoſtium incurſum, ob graſſantem peſtem, fortunæque infeſtæ quampiam calamitatem acerbiorem, tutò venire non poteſt.

l. Fulcin: ff. quibus ex cau. in poss. eatur. Quæ tamen † causæ impedi- 8.
mentorum debent esse iustæ & legitimæ non friuolæ, qualis est fractio rotæ & similes leuiores: quemadmodum inter Procoss. & Coss. Ciuitat. Cracou. & Mathiam Wilk anno 1596. talia allegata seclusa fuêre à Iu-
dicio Regali. Porrò ius † Saxonicum, 9.
talem impedimenti legalis illationem per nűcium fieri admittit, dummodo postea principalis, id medio iureiurando comprobet, quod si facere citatus abnuerit, cadit in causa.
l. contumac. ff. de re iudica. † In 10
praxi demum communi receptum est, (quod & Curia Reg. sequitur, prout inter Ioannem Barcz, & Fabianum Dameraw. anno 91. ibidem decisum fuit) quòd in legittimo impedimento inferendo, neq; nuncius, neq; iuramẽtum eius acceptetur, sed

reus in proximo iudicio illud inferre, simulq; medio iuramento suo probare poterit.

Titulus VII.

De dilationibus, actionibus, libello, & guaranda.

Summæ.

1. *Actori induciæ præparatoriæ non dantur.*
2. *Dilationes legittimæ reo conceduntur.*
3. *Actiones in iure triplices, & primo personalis quid sit.*
4. *Reales actiones explanantur.*
5. *Res in iure aliæ corporales, aliæ incorporales.*
6. *Corporales res, aliæ mobiles, aliæ immobiles.*
7. *Res incorporales quæ sint.*
8. *Dupliciter solet proponi de incòrporeis.*
9. *Actio mixta quæ sit.*

	Actiones mixtæ.	
10.		*Familiæ herciscundæ.*
11.		*Communi diuidundo.*
12.		*Finium regundorum.*
13.		*Ex contractu quasi.*
14.		*Ex delicto.*
15.		*Ex delicto quasi.*

16. *Propositio clarè, & apertè est exhibenda.*

17. Propositio clara qualis debeat esse.

18. Plura tempore petens punitur duplo interualli.

19. Plura petere quomodo quis dicatur.

20. Propositionem seu libellum, licitum est emendare.

21. Libellum mutari contingit, in forma, quantitate, & materia.

22. Libellum mutare licet, ante litis contestationem.

23. Iure Saxon. præstita guaranda, libellum mutare non licet.

24. Praxis Curiæ de guaranda obice.

25. Guaranda quid sit.

26. Pœna duplex pro non seruata guaranda.

27. In Regno pœna, non seruatæ guarandæ, non semper attenditur.

28. Ante propositionem, in iure Saxon. reformationes à partibus præmittuntur.

29. In Regno locũ libelli propositio supplet.

DVM † in iudicio pars vtraq; comparet, actor semper debet esse paratus. per tex. l. 2. C. de dilat. quare 1.
dilationes præparatoriæ ipsi ad causam non dantur, nisi probationis causa, vel ad testes inducendos, qualis dilatio tres quindenas tam ex parte

2. actoris quam rei requirit. † Reus porró præparatorias inducias in iudicio sortiri solet. & de iure Saxonico ad bina proxima iudicia, id est, ad quatuor septimanas, pro constituendo videlicet ferendario, & ad respondendum. SS. lib. 2. ar. 2. In iure ciuili maximè in causis pecuniariis aut ciuilibus, nonnisi semel datur dilatio. l. fi. ff. de ferijs & dilat. quod intellige ante cognitionem causæ. nam & secundò causâ cognitâ dari potest. l. oratione. ff. de fer. & dil. In criminalibus etiam nonnisi cognitâ causâ dilationes, idq; propter probationes,
3. habentur. l. 1. ff. de iudicis. † Equidem actor, in primo termino propositionem suã capitalem insinuare debet, & declarare, quo genere actionis, acturus est. Actiones autem sunt triplices, personales, reales, & mixtæ. Personalis actio est, cum lis inten-

tatur in personam: hanc autem actionem concernunt omnes cõtrouersiæ, quæ quopiam modo concomitantur personas, & quæ non recedunt à persona obligati, vel hæredis eius, cuius personam repræsentat, l. actionum genera § 1. & 2. ff. de act. & obl. quare personaliter is agere dicitur contra alium, ex debito, mutuo, empto, vendito, locato, conducto, condictione certi, ex causa mandati, cõmodato, deposito, permutatione, hypothecatione, obiterq́, iis omnibus, quæ aut re, aut verbis, aut literis, aut consensu fiunt, & contrahuntur. tot. tit. Instit. quib. mod. re contr. oblig. nec solùm ex contractu, sed quasi, & ex delicto vel quasi sibi obligatũ. Realis actio † est, quæ non in ipsam per- 4
sonam, sed in rem personæ intentatur, hoc est in personæ possessionem, rem, aut opes, scilicet pro debito re-

dituum, ſuper domum, fundum, &c. aut de poſſeſſorio, de agris, fundis, ædibus, &c. & dicimur tunc realiter agere, quãdo tantùm res intendimus litigio perſequi. l. Imperatores, ff. de publ. & vectig. & § omnium autem actionum Inſt. de actionibus. Eoq́; caſu actiones in rem ſunt dictæ & appellatæ, veluti ſi Titius rem aliquam corporalem poſsideat, quam Seius ſuam eſſe affirmet, ſeque poſſeſſorem eius & dominum eſſe contendat, actio erit realis, nempe in rem ipſam
5 intentata, d. § omn. act. † Res autem duplices ſunt, corporales, & incorporales. Corporales illæ dicuntur, quæ ex ſui natura tangi poſſunt, vt homo, equus, veſtis, aurũ, fundus, menſa, liber, &c. l. prima. § quædam ff. de
6 rer. diuiſ. & qualit. Hæ † item alię mobiles, aliæ immobiles. Mobiles quæ moueri poſſũt, vel ſeipſas mouẽt, &

non sequuntur fundũ, vt vacca, bos, vitulus; ouis, sus, asinus, aurum. &c. & suppellex. Res immobiles, arbores, nemora, fundi, & quæ fundo inhæsiuè sunt adnexa. Incorporales † autẽ 7
sunt res, quæ tangi non possunt, quales sunt eæ quæ in iure consistunt, sicut hæreditas, vsusfructus, vsus iurisdictionis, reditus annui perpetui, officia perpetua, &c. † Dupliciter au- 8
tem solet de eis proponi, aut affirmatiuè, id est, per confessoriam, dum confesione verbali, aut scripto, aut verbis affirmatiuis cõstituitur, vt huius fundi hæreditas, aut reditus annuus, quem tenes, mihi competit. Aut negatiuè, quando verbis negatiuis actionem pro eis intento, videlicet tu nihil iuris habes in fundo meo, in his reditibus, &c. nec obstat quamuis harum rerum incorporalium, supposita corporalia sensu percipiantur, ipsæ

tamen incorporales sunt, d. l. prima.
9 § quædam. † Actio mixta dicitur, quæ nec est merè personalis, nec merè realis, sed habet causam indifferentem, vt sunt illæ actiones, quæ recẽsentur, in § quædam. Institut. de actionib.
10 † qualis est familiæ herciscundæ actio, quæ competit cohæredibus, pro diuidenda hæreditate.
11 † Item cõmuni diuidundo actio, quæ illis accidit, inter quos aliquid commune est, vt id diuidatur. Item
12 † finium regundorum actio, quæ inter eos agitur, qui confines agros habent.
13 † Item ex contractu quasi, vt actio negociorum gestorum directa & contraria, actio tutelæ directa & contraria, actio ex testamento, atque id genus aliæ actiones similes, quæ partim personales, partim reales sunt, quod cùm personas, tum res indifferenter respiciant: sed nec sunt propriè contractus, nec

ex contractu nasci videtur, sed instar contractuum sese habere censentur, vtpotè ratione obligationum, quæ ex iis nascuntur, vt toto tit. Inst. de obl. quæ ex quasi contract. nasc. † Ex deli- 14
cto obligationes ex re natæ, id est maleficio, furto, damno, iniuria, &c. ibid. tit. de oblig. quæ ex delic. nasc. Ex delicto † quasi, vt si quis ex fenestra 15
imprudens insciens, aquam immundam in alterius trāseuntis togam perfuderit. vel, si iudex per negligentiā, aut imperitiam, litem meam malè diremerit, vel iudicatum non rectè exequutus fuerit, &c. per totum tit. Instit. de oblig. quæ ex quasi delic. nasc. Circa † quarum actionum sic distin- 16
ctarum dispositionem, non parum referet, quibus metis propositio seu petitio actori exhiberi debeat. Adhæc omnis propositio sit breuis, clara, & dilucida, vnde tanquā in syllogismo

ex præmiſsis pertinens colligi debet concluſio. vt & reus apertè & clarè comprehendat intentum actoris, petitiſque actoreis reſponſionem congruam poſsit apparare, vt in auth. offeratur, C. de lit. conteſt. & cap. indu-
17 ciæ § offeratur. 3. q. 3. Clara † autem illa propoſitio dicitur, quæ punctis ſeu articulis illis quinq; terminatur. quæ perſona petat, quid petat, pro quo petat, quomodo petat, & à quo petat. Propoſitiones autem alternatiuæ, generales, vel etiam conditionales, obſcuritatem magnam parien-
18 tes, nullæ ſunt validæ. † Si quis item plura tempore petit, ante tempus elapſum, videlicet tempus ſolutionis eſſet in Octobre, ille ante, ſcilicet in Auguſto, aut Septembre, iudicialiter peteret, talis eo caſu duplicatione temporis ſoluendi punitur, nimirum illud interuallum tẽporis, quod con-

dictum fuerat in obligatione, duplo spacio ad solutionem à reo faciēdam prolatetur, pro expensisque actor talis intempestiuus condemnetur, § si quis agens. & seq. § Instit. de action. quamuis tamen ante diem præstandæ pecuniæ agi possit ex iusta causa, potestq; fieri ad interponendam cautionem condemnatio super reo. SS. lib. 1. ar. 65. Si quis † etiam plura pe- 19
tat, aliis tribus modis, nēpe loco, causa, vel re. is declaratur inadmissibilis, reiiciturque cum expensarum litis refusione. Loco. vt si Cracouiæ petis iuridicè tibi dari oportere, quod Posnaniæ ex stipulato venit tibi soluendum. Sic plura causâ petit, quando solutionem exigit, ob aliam causam, quàm syngrapha obloquitur. Re verò plura is petit, qui maiorem summam quàm ipsi debita est, exigit: veluti, si quis pro 10. florenis qui ei debeban-

tur, 20. petierit. De his fusiùs lege Franc. Curtii Tractatum posit. & interrogat. & Tractat. de iuram. calum. num. 22. incip. Octauum breuiloquium est. Et certè Christianũ prout iuxta æquissimum esset, si tales circumstantiæ rigidiùs in libellis actorũ spectarentur, examinarenturuè. tantis tamq; crebris cauillationibus, latissimus cãpus perfacilè intercluderetur. Porrò † libellũ, petitionẽ, seu propo-
20 sitionẽ suam, licitum est actori emendare, corrigere, & immutare. l. edita.
21 C. de edendo. Mutari † autem libellum contingit in forma, qualitate, & materia. In forma quidem, quando libellus inordinatè conceptus in ordinem redigitur. In qualitate cùm ab actione, vel reo priore, receditur. E. G. Si priùs ago ciuiliter, volo deinde agere criminaliter, vel si priùs propositione contra aliquem insinuata,

tanquam peregrinum, postea tanquā in ciuem, actionem dirigo. Demum in materia actio mutatur, si plus vel minus peto, antea egi nomine centum, nunc postulo ducenti, vel contra, vt § sin autem plus intentione. Instit. de actionibus. His † ita positis, 22
licentia libelli mutandi sic habenda est, quòd tam in substātialibus, quàm in formalibus, libellus ante litem contestatam corrigi & immutari potest, vt praxis in Regno recepta, communiter docet. quod etiam I c. Paulus in l. 23. ff. de iudiciis notat. † Verùm 23
in iure Saxonico, reus actori, post oblatum libellum, potest præcludere hanc libertatem corrigēdi libellum, per petitionem guarandæ, qua obtēta, partes actionem ab vtrinque amplius reformare nequeunt, SS. lib. 3. ar. 14. & praxis communis tenet quod actor post præstitam guarandam, vix

 vnum

vnum iota propoſitioni ſuæ adiicere
24 poſsit, ſed † & reus per ſuſceptionẽ
Varandæ, iam cenſetur ſeſe ad reſpō-
dendum obligaſſe, & ideo neque ex-
ceptionibus vti iam poteſt, prout in-
ter Rabrocki & Kupcowic, in Curia
Regali, Anno 99. deciſum fuit, neq;
illi eſt integrum deferre actori iura-
mentum, ſed ſine vllis diffugiis ad li-
bellum reſpondere tenetur. SS. lib. 1.
25 art. 6. Vocatur † autem Guaranda
ſeu Varanda (Saxonica enim eſt hæc
vox) cautio, quam actor reo præſtare
tenetur, per dextræ ſtipulantis porre-
ctionẽ, quod videlicet eum defendet,
ne eiuſdẽ rei nomine ab alio ampliùs
26 conueniatur. SS. l. 2. art. 18. † Vbi pro
non ſeruata Varanda, duplex pæna
ſtatuitur, aut intellige in criminali-
bus res verſabatur, tum man⁹ amputa
tio, aut (ita enim eſt melius iuxta IC.
diſtinguendum) in ciuilibus, extunc

medi-

medietas verigeldi venit luenda per non seruantem. In † regno tamen hæ pænæ non adeò strictè seruari solent, quin & ipsa præstatio Varandæ plerumque à partibus ommitti solet, qua vel ommissa, nihilominus propositionem actori, non est fas mutare. Nec enim congruit, vt reus assiduis libelli mutationibus diuexetur iuxta quod etiã practicatur, praxisq; Cur. Reg. potiùs iuri Ciuili hoc in passu subscribit. Anteaquàm verò propositio actionis iudicialiter insinuetur, † tam reus, quàm actor per se, vel procuratorem, idque iuxta iuris Saxonici tenorem, facient sibi reformationes iuridicas, præcustoditis sibi suis documentis, testimoniis, probationibusque, ac rebus omnibus subsidiariis causæ suæ expedientibus, vt Iur. Mun. ar. 20. & 42. Factis ita reformationibus, pars respondens, ca-

27 and 28 (margin numbers beside "In † regno ta-" and "tur, † tam reus")

pitalem propoſitionem audiet, vel
29 beneuolam inſinuationem (nam † in Regno vix vſquã aliquis mos vel vſus eſt libelli ab actore reo edendi, ſed in locum libelli, propoſitio actionis ſuccedit, non mutata quidem re, ſed duntaxat modo & nomine) & poſtulabit ab eo, ſi volet, Varandæ præſtationẽ, quę ſibi iudice annuente pręſtabitur.

TITVLVS VIII.

De Arreſtis.

Summæ.

1. *Sequeſtratio & arreſtatio nomine tantùm differunt.*
2. *Arreſtatio quid ſit.*
3. *Non tantùm res, ſed & perſona arreſtari poteſt.*
4. *Arreſta de iure ciuili illicita, & quare.*
5. *Arreſti remedia cur inuenta.*
6. *Iudex non ſtatim ad cuiuſuis petita arreſtum permittat.*
7. *Quales perſonæ arreſtis potiſſimùm ſunt obnoxiæ.*

CONTINGIT sæpenumerò ex arrestis actiones plurimas agitari, non minusq́ue aliorum emergentium aut incidentium, in Processu Iudiciario, moueri solitorum, quàm arrestorũ vel sequestrationũ, vsum esse; quare de illis hîc etiã aliquid est dicẽdũ. Sequestratio † autem & Arrestatio no 1
mine tantùm differunt, illa latiniori voce profertur, hæc barbarum sermonem imitari videtur. Est † autem 2
Sequestratio seu Arrestatio, interdi-

ctum iudicis competentis, ne res litigioſa, vel loco moueatur, vel de ea quidquam ſtatuatur ad litis vſque deciſionem. & arreſtare eſt, quaſi facere aliquem ſtare, & impedire ne progre
3 diatur vlteriùs: † ſed neq;tantùm res, verùm & perſona debitoris in quopiam loco detineri & arreſtari poteſt. is tamen ſeruandus eſt ordo arreſti, vt prius ad res, quàm perſonam arre-
4 ſtandam deueniatur. Et iure † quidem Ciuili id minimè licere deducitur, per l. vnic. C. de prohibita ſequeſtratione, eò quòd nõ à ſequeſtrando ſeu arreſtando, ſed conueniẽdo, & ab illo edicto, quod eſt de in ius vocando, lis eſt auſpicanda, § fin. Inſtit. de pœna temerè litig. tum quòd iudex arreſtum concedens, ab exequutione iudicium incipiat, quòd manifeſtè repugnare videtur iuri l. fin. C. de exequ. rei iudic. Tum quia per arre-

stum rei, possessor commodo percipiendorum fructuum priuatur, ob impeditam eius possessionem, quod indicta causa, ius nemini faciēdum suadet, l. fin. C. si per vim vel alio modo absent. turb. possess. Inuentum † est 5
hoc tamen extraordinarium iuris remedium, iureque consuetudinario vbique ferè gentium, & hic in Regno receptum, quo vti liceat aduersùs debitores peruicaces, & temerarios, vel etiam profugos: vt tædio arresti perculsi, saltem coram iudice compareant, vel iudicatum soluant, vel pro soluendo caueant. Non † statim 6
autem iudex arrestum ad postulata cuiuspiam decernat, aut permittat, priùs etiam causam de plano adminus, & summariè inquirat, an debitor videlicet sit soluendo nec ne, num debitū, vel causa, pro qua arrestum (eo enim toties vti debemus vulgari ver-

bo) petitur, num perſona ſit vagabū-
da, aut de fuga ſuſpecta: nam homi-
nes graues,poſſeſsionatique,arreſtari
non debent, quod iudex diligenter
eo in paſſu circumſpiciet. Quodſi
7 perſona † ſit impoſſeſsionata leuiſué,
vt ſunt aleatores, bibuli, heluones,
prodigi,& quorum bona debitis non
æquiualeant, ipſi, & res,bonaque eo-
rum,arreſtari atque detineri poſſunt.
8 Hoc eſt † hîc præcipuè notandum,
quòd iudex Ciuilis ſiue Burgēſis,in ci-
uitatibꝰ vel oppidis Regni, in ſubdi-
tos, vel res Nobiliū,arreſta cōcedere
non debet,ratione quorumuis debi-
torū, quocūq; pacto obligatorum, a-
ctis etiam publicis inſcriptorum vel
nō.à talibus enim quis iniuriā paſſus,
dominos ipſorum pro iuſticia admi-
niſtranda adeat oportet: qui ſecus fa-
xit, pænam ſex marcarum luet, per
mediū parti & Capitaneo loci, iux-

ta Statutum Alberti Regis, Anno D. 1496. promulgatum. Sed nec † vlla 9
arreſta, tempore nundinarum publicarum, expedit concedi à iudice, ob liberiorem mercantiarum pertractationem: l. vnica. C. de nundinis. Enimuerò frequentiſsimè † accidit, vt 10
alter apud alium rem quampiam videns, adſerat & vendicet eſſe ſuam, quo nomine arreſtum, ſuper re cognita, à iudice permittēdum petit, quod ſi arreſtans rem aſſertā vendicatamque ſibi competere non probauerit, mulctam iudici perſoluet. Et † ven- 11
dicari non poſſunt, quæ differēti ſpecie diſcerni nequeūt, prout pecunia, frumentū, &c. Apud quem res vendicatur † & exinde arreſtatur, varenda- 12
torem à quo rem vendicatam acquiſiuit, pro tempore de iure præfixo ſtatuere tenetur. ſi autem in varendatore defecerit, rem vendicatam per-

det, & emendam iudici reponet. Diceret autem rem vendicatam à ſe enutritam, vel fabricatam, elaboratamque, propior erit aſſertionem ſuam, tanquam poſsidens rem, iuramento comprobare. SS. l. 1. ar. 15. & lib. 2. art. 36. & hæc ad arreſta applicui ideo, quia nunquam fermè res vendicari abſque arreſto præexiſtente ſolent. Paucißima item de repreſſaliis, quæ in eadem naui, remigiis & velis iiſdem, deſudant, referenda ſunt.
13 dicũtur autem repreſſaliæ, † vulgò pignorationes, in quibus alius pro alio prægrauatur. & introductæ ſunt ob iuſticiam denegari ſolitam. e. g. Lugduni credidi cuidam negociatori mille florenos, petii nomine mutui primùm extraiudicialiter, deinde & iure mediante per litigium forenſe conueniens poſtulaui, quatenus adſtringeretur, ſententia iudicij, debi-

tor me-

tor meus ad ſoluendum denegata eſt iuſticia. Poſtmodùm quiſquam alius ciuis Lugdunenſis venit in Poloniam, ego adiens Reg. maieſt. obtinui reſcriptum repreſſaliorum, pro prægrauando eo. Nec immeritò, nam quamuis † Canonicum ius inhibeat 14
repreſſalias c. vnic. extr. de iniur. & dam. dat. in 6. tum & æquitati naturali repugnare videntur. Communis tamen DD. ſententia eſt cõtrarium in omni iure permiſſas † eſſe exiſtimans. 15
ſicut enim genti iniuriam faceſſenti iuſtè bellum indici poteſt, ita & iuſticiã denegãti, per certum modum inculcare fas eſt, quo magis id quod ſuũ eſt alicui tribuatur. neque ea in parte, locupletior quiſquam dici poterit ex alieno damno, ſed quòd ſuum quacunque ratione poteſt, conſequatur. nec ille repreſſaliis obnoxius, dicetur iacturam perferre, dum illi via agen-

di ſuperſit contra eum, pro quo ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè exactum perſoluit.
16 l. Senatus, ff. quod metus cauſa. † Et ſicut bellum, ita & repreſſalias exercere priuata authoritate non licet, ſed annuente principe: quod ius repreſſaliorũ non omnibus paſsim permittendum, verùm illis duntaxat, qui tempore damni perlati, fuerunt veri ſubditi principis repreſſalias concedentis: & quòd non in ſubditos eiuſdem principis, ſed exteri, neque contra priuilegiatas perſonas, vtpotè ſtudioſos, clericos, legatos, & id genus alios.

TITVLVS IX.

De Procuratoribus, ſeu Ferendariis, & Ceſsionibus.

Summæ.

1. *Comparere iudicialiter oportet, ſecus in ciuilibus quàm in criminalibus.*
2. *Procurator quid ſit.*

3. Procuratore carenti, iudex ipsum dare debet, & Procurator eo in passu iudici audiẽs esto.

4. Procucator in certis casibus potest recusare alicuius patrocinium causæ.

5 Qui non possint esse ferendarij.

6. Falsi Procuratoris pæna infamia.

7. Procuratori licet defendere propriã causã.

8. Propria causa quæ dicatur.

9. Actionem litigiosam cedere non licet,

10. Cessio facta potentiori inualida.

11 Cessiones factæ ab his, qui eas facere non possunt, irritæ.

12. Tutores, Curatores &c. cessiones facere non possunt, in causa pupillorum, absq; eisdem.

13. Cessiones de iure prohibitæ recensentur.

14. Cessio nulla est, quæ fit absq; causa & titulo.

15. Procuratores precium pro labore suo licitè accipiunt.

16. Locus communis de iniustis signanter patrocinijs causarum.

17. Laudatur consuetudo quæ adigit ferendarios ad iusiurandum super suo munere præstandum.

18. Forma iuramenti Procuratorum.

19. Plenipotentiæ seu mandati Procuratorij forma.

20. *Procurator in abſentia clientis, non admittitur ad agendum ſine mandato.*

21. *Procurator carens mãdato caueat pro rato.*

22. *Mulieres procurare non poſſunt.*

23. *Caſus in quibus mulieri procurare licitum eſt.*

24. *Certæ perſonæ inueniuntur in iure, quæ ſiſtunt pro alijs in iudicio, abſq; Procuratorio.*

1 COMPARERE † partes in Iudicio poſſunt, in cauſis ciuilibus, tàm per ſe, quàm per procuratorem: nam in criminalibus, tàm actor, quàm reus, perſonaliter ſe ſiſtere ad agẽdum te-
2 nentur. Procurator † itaque, ſeu ferendarius ad litem inſtitutus, dicitur patronus actionis, velvt conueniẽtiùs dicam, eſt vir bonus dicendiq́ue peritus, qui ſui amici, vel etiam ſuiipſius voluntatem iudici declarat, & contradicit illis, qui ſuæ volũtati contraueniunt. l. 1. ff. de poſtulan. Dicitur etiam miles iuris, quemadmodum enim milites belli, ſunt pacis prote-

ctores, ita hi ſunt iuris defenſores. Iur. Munic. art. 42. & SS. lib. 1. art. 60. & lib. 3. ar. 14. l. ſic aduocati, C. de aduocatis diuerſ. iudic. Quare † dum a-
liqua pars deſtituta eſt procuratore, eum, ad ſua poſtulata, iudex debet ipſi ex officio dare, & deſignare, quodſi ex mandato iudicis ferendarius temerariè id facere noluerit, iudex poſtea eundem audire non tenebitur, imò à iudicio ipſum propellet. c. infamis. 3. q. 7. Poteſt † tamen pro- 4
curator id oneris aliquando detrectare, ſi iuret, quod teſte conſcientia, cauſa litigãtis illius non videatur ſibi defenſibilis. Vel recuſare poteſt contra dominum ſuum, vaſallum, amicũ, familiam ſuam, vt SS. lib. 1. ar. 60. & l. moris. ff. de pœnis. Et † Ferenda- 5
rius ſeu Procurator eſſe non poteſt, ſeruus, ſurdus, infamis, iure priuatus, fœmina, cæcus, puer, l. 1. ff. de poſtu-

lan. Monachi etiam coram iure ſæculari ferendarij eſſe non poſſunt, & aſsignatur à DD. ratio, quia æquiparantur ſeruis, vt ſalua pace illorũ dicam, & capite carent ciuili. Falſi pro-
6 curatoris † qui in negotio ſui principalis ſiue clientuli doloſè agit, ita quòd ſe beniuolè conuinci permittat: vel conductus per vnum, documentaque & defenſas ipſius inodorans, ad aduerſarium ſe conferat, vel aduerſarii cauſam defendat, in damnum prioris domini, pæna eſt infamia. l. 1. C. de aduocat. diuerſ. iudic. & l. ſi is. ff. de præuaric. Sicutq; pro-
7 curatores † aliorum cauſas defendunt, ita & ſuas quoque priuatas per ſe defendere poſſunt, & dicũtur tunc procuratores in cauſa propria, vel procuratores in rem ſuam, l. procuratorum. ff. de procuratoribus. Cauſa
8 autē † ipſis propria dicitur, quæ pro-

uenit ipsis, vel ex propriis bonis, vel aliis bonis ipsis cessis, aut transfusis, quę defendenda susceperint, vel cùm per mandatum plenipotentię sunt instituti ad litem, siue iudicia, & ad suũ commodum, vtilitatemq́; prosequẽdam, & huiusmodi procuratoria seu plenipotentiæ validæ esse solent. Ex-
cepto † eo, si actionem litigiosam sibi 9
quis cederet. vt quando actiones cessæ sunt ambiguæ, neque per iudicatum sunt resolutæ, l. 2. fin. C. de liti-
giof. Nec etiam † valent cessiones 10
actionum in manus potentiorum factæ, vt SS. lib. 1. ar. 48. & l. cuiuscunque. C. ne liceat potentioribus. Itẽ
non † valent cessiones factæ ab iis qui 11
eas facere de iure prohibentur, aut non possunt, vt minorennes sine tutorum vel curatorum authoritate.
Item tutores † & curatores non pos- 12
sunt quidquam præstare sine pupillis

aut minoribus, niſi iſti abſentes ſint aut fari non poſsint. l. reſtituta § pu-
13 pilus. ff. ad SC. Trebellianum. † Item furioſi, prodigi, &c. prohibentur facere ceſsiones. l. is cui. ff. de verb. oblig. Item, patres filiis cedere non poſſunt. l. ſecund. ff. de contrah. emption. Item ceſsiones ſimulatæ in iure nullum locum nec robur habēt. C. plus valere quod agitur. per tot. & c. per tuas. ext: qui fil. ſunt legit. Item non valent ceſsiones tutori vel curatori factæ, contra minorem, adminiſtratione, vel tutela durante. in Authen. minoris. C. qui dare tut. vel curat. poſſ. Ita ex prædictis illegittimarum ceſsionum caſibus, procuratores nullatenus valent. Quemadmodum
14 dum † in procutatorio nullus inſeritur titulus, vel ceſsionis cauſa, quâ ipſa ſit facta: nam nuda tradicio, & ſine cauſâ facta, in rebus corporalibus

non transfert dominium. l. nunquam nuda. ff. de acquir. rer. domin. Hæc de procuratoribus in rem ſuam agentibus: iſti enim, ex propoſito ſibi brauio lucrandæ actionis ceſſæ, præmium amplius à transfundente non requirunt. Secus qui aliorum cauſis, alienis, clientulorum, in iudicio patrocinantur. Quamuis † autem nullum 15
probum decet, ad promouendum aliquas cauſas ſignanter iniuſtas precio induci: homo enim prudens, in conſiliis dãdis circumſpectus eſſe debet, in præſtandoque auxilio fidelis. hoc ſiquidem fieri nequit, vt, qui precio inductus eſt, ad iniquam defenſandã cauſam, æqua & iuſta integritate animi, abſque remorſu conſcientiæ, conſiſtere queat: fidelitas namq;, ac animi ſynceritas, vnà cum iniuſticia ſtare non poſſunt; tamen cauſidici pro labore ſuo licitè preciũ accipere poſ-

ſunt, vt c. charitatem. 12. q. 2. Nullus enim ſuo proprio ſtipendio alteri obſequium & vtilitatem facere tenetur. c. precariè. 10. quæſt. 2. Cautumque eſt id iure, quòd I C. conſilia ſua precio impartire poſſũt, vt cap. in verbis: non licet iudici vendere iuſtum iudicium, etſi liceat aduocato (intellige ferendarium) vendere iuſtum patrocinium, & Iureconſulto re-
16 ctum conſilium. 11. q. 3. Sed † non immeritò lex ea canonica adiecit iuſtum patrocinium, nam reuera iniuſtas ſignanter cauſas, nemini fas eſt in iudicio defendere, ſalua conſcientia. quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum lucretur mundũ (vt cum Seruatore I E S V loquamur,) animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Proch dolor, talia attentans, ſempiternę gehennæ addici & deſtinari cupis, propter aliquot miſeros teruntios, pro iniquę

cauſæ iniuſto patrocinio delibatos? Quapropter laudandam † ſatis conſuetudinem eſſe Cracouiæ receptam 17
cenſuerim, quippe quòd ferendarii quotannis ſacramentum iuriſiurandi præſtare ſoleant; vt, vel ipſo terribili nomine Dei, quod in iurando religioſè aſſumpſerunt, deterriti, ſui officii immemores haud exiſtant. † Eaq; eſt 18
ſeries iuramenti ipſorum.

Ego N. M. L. *iuro Deo omnipotenti, quod iudicio volo eſse obediens in his quę ſecundùm ritum debeo, &c. quòd officium meum procuratorium, ſyncerè, fideliter, diligenter, integrè, ſine procraſtinationibus noxiis, non cunctanter, non animo fouendarum litium, vel rixarum ampliandarum exequar. cauſam vel ab actore, vel reo ſuſceptam, iuxta vires ingenij mei, conſcientiam, optimumque conſilium, defendam. Et cognito conſilio vnius partis, illud non manife-*

ſtabo,

stabo, nec ad eam desciscam, sed primę vsq; ad effectum actionis finalem adhęrebo. Literalia documenta à principali cliente meo reddita, consilia, colloquia in causa mihi concredita, nemini pandam, pręsertim parti aduersarię, neq; eius procuratori, neq; adhęrentibus, verbo, scripto, indicio, tam per me, quàm alium, nec in damnum principalis clientuli mei, beneuolè conuinci me permittam. Aliaq; omnia conseruare volo, quę bono, veraci, & fideli ferendario & patrono expediunt, neq; id ommittam amore, fauore, muneribus, commodo, aut alia re inductus, sic me Deus adiuuet, & omnes
19 *sancti eius.* † Huc referre visum est formam conceptam ex actis Iudic. Aduocat. Cracouien. depromptã, qualiter nimirum ferendarijs, siue procuratoribus, facultas mandati, ad patrocinandum causis, etiam absente clientulo, demandetur: cuius series

ſic habet. *Honoratus Dominus Andreas Leber Iudicij ordinarii Ciuilis Cracouien. Scabinus, coram eodem iudicio perſonaliter comparens, omnibus melioribus, modo, forma, via, iure, & ſtylo, quibus de iure conuenit, & quàm efficaciſsimè potuit ac debuit, fecit, conſtituit, ordinauit, vigoreq́ præſentium facit, conſtituit, ſolenniterq́ ordinat, in ſuum verum, certum, legittimum, indubitatum plenipotentem, ac mandatarium, Famatum Stanislaum Menerth, cauſarum Ciuilium Cracouien. ferendarium in omnibus generaliter, & ſingulis ſpecialiter cauſis actionibusq́ ſuis, coram quocunq́ officio, iudicio, & magiſtratu, cum quibuſuis perſonis, occaſione quarumcunq́ rerum, & iniuriarum habitarum & habendarum: dans & conferens eidem plenipotenti mandatarioq́, plenariam, omnimodamq́ & abſolutam facultatem ac poteſtatem, eaſdem ſuas iuridicas*

cauſas

causas fouendi, tuendi, promouendi, prosequendi, intentandi, intentatas ac promotas continuandi, & ad vltimum vsque iuris punctum perducendi, sententias pro parte sua latas suscipiendi, à non susceptis & onerosis altiorum & supremorum iudicum subsellia prouocandi, & appellandi, appellationes aliasq; quasuis iuridicas motiones prosequendi & continuandi, rerum iudicatarum exequutiones petendi, & reportandi, munimenta, documenta, aliasq; probationes producendi & produci curandi, iuramenta audiendi, deferendi & condonandi, arresta faciendi, precustodiendi, & relaxandi, alium item plenipotentem seu plenipotentes loco sui in quantum necessitas expostulauerit substituendi, & substitutos iterum reuocandi. Omnia insuper alia & singula etiam hic non expressa, puncta, grad9, & solennitates iuris, pro locorum, causarum, iudicumq;

ac iudi-

ac iudiciorum obseruantia & consuetudine, in genere generalissimo, & specie specialissima agendi, faciendi, exercendi, & perficiendi, offerens se ea omnia quęcunq; in pręmissis idem suus memoratus plenipotens, seu illius substituti, gesserint, egerint, concluserint, & perfecerint, rata grata firmaq; suscepturum habiturum & conseruaturum, perinde ac si ipsemet constituens ibidem personaliter existens ea omnia per se ageret, faceret, agere, facereq; posset, aliâs in forma mandati commissi plenissima. Et † ideo 20
procurator, disparéte praesertim principali seu cliente, sine sufficienti mandato seu plenipotentia in iudicio ad agendum non est admittendus. c. in nostra. extr. de procur. nisi fortè principalis suus facta & acta approbaret & ratificaret, c. ratihabitionem, de reg. iur. in 6. Alioquin † si procura- 21
tor occupare vult principalis sui par-

tes in iudicio, eoque tẽpore non dum plenipotentiam ſuam expeditam aut paratam habeat, is de rato cauere poteſt. l. 1. C. de procurat. atque tunc etiam promittere ſe ſoluturum iudicanda, & rem eam aſſumere pro ſua, ſi fuerit poſſeſsionatus, aliter enim ipſi non creditur. Illud denique no-
22 tare hîc potes † quòd inter illas perſonas inhabiles procurando, mulieres etiam procurare cauſas non poſſunt, l. neque fæmina, ff. de procura-
23 tor. niſi fortè in † cauſis propriis, pro marito captiuo, pro ſuis ſenibus & effætis parentibus, pro ſuis liberis, & pauperibus amiculis, quãdo aliorum procuratorũ inopia eſt. l. quia abſẽte te. C. de procurator. Item in rem ſuã dũ illi aliqua actio ceſſa eſt proſequẽda, ad ſuum ipſius profectum, vt d l. abſen. Item in tutela ſuæ prolis Authent. ibi poſit. C. quando mulier tut.

off. fung. Item pro libertate sui filii, patris, mariti, fratris, aut alterius propinqui vel consanguinei, l. 3. ff. de liberal. cau. Item quando filius suus condemnatus est per sententiā, tunc mater ab ea appellare, & appellationem prosequi potest. l. prima, § finali. ff. de appel. recip. vel non. Peræquè quamuis nullis aduocatis, nullisque ferendariis, vel patronis, permissum sit, vt se in iudiciis pro aliis sistant & occupent, sine mandato seu plenipotentia. tamen † in iure inueniuntur certæ personæ, quæ sine procuratorio se pro aliis præsentare possunt, videlicet parentes, amici, propinqui, consanguinei, cognati, patrueles, affines, liberti, & similes, pro suis filiis & propinquis, affinibus, consanguineis, coaffinibus, patronisque: sed cauere debent de rato, Bald. in l. exigēdi. C. de procuratorib.

TITVLVS X.

De Satisdatione & fideiussione.

Summæ.

1. *Satisdare tenentur tam reus quàm actor.*
2. *Satisdare non cogitur, qui est possessionatus.*
3. *Satisdare non tenetur qui bona in quantitate verigeldi possidet, & quomodo hoc accipiendum.*
4. *Cautio fideiussoria grauior in ciuilibus, quàm in criminalibus.*
5. *Fideiussorum quis defectu laborans, satisdare potest medio iureiurando vel pignore.*
6. *Honestiorum vel superiorum personarum respectus in iure habendus.*
7. *Criminaliter agens, pro pœna talionis satisdat.*
8. *In atrocioribus criminibus fideiussoriæ locus non datur.*
9. *Fideiussoria committitur criminis reus, accusatore disparente.*
10. *Fideiussor molestari non debet, donec principalis excutiatur.*
11. *Fideiussor conquirere non valens principalem, eiusdem oneri obnoxius est.*

12. *Cauens*

12. Cauens pro aliquo in ius ſtatuendo, ſi ille moriatur interdum, ſponſor ſit liber.

13. Fideiuſſores coniunctæ manus, quomodo pulſandi.

14. Fideiuſſor liberatur, nouatione contractus inter principales intercedente.

15. Fideiuſſor præſtandi iuramenti, mortuo principali, ad quid obligatur, & quid hæres defuncti præſtet.

16. Fideiuſſoria quando tranſit ad hæredes.

QVAMVIS multis in aliis locis ſatiſdationum vſum obſoletum eſſe conſtet, prout Myſsing. in Inſtit. de ſatiſdat. ſuis ſcholiis atteſtatur, & alii non pauci. In Regno † tamen, 1
tam de iure Saxonico, ad cuius normam, ferè omnia Vrbana iudicia inſtituuntur, quàm praxi Curiæ Reg. receptum eſt, quòd quâ actor, quâ Reus, ad ſatiſdationem præſtandam ſtringantur ab inuicem, Actor pro damnis & litis expenſis refundendis pulſato, ſi in cauſa collapſus fuerit, cauere debet. Reus autem non niſi de pa-

rendo iuri & iudicato, cautionem pręſtare tenetur. § ſed hodie. Inſtit. tit. de ſatiſdat. Quod † ita intelligendũ
2 eſt, dum vtra pars poſſeſsione, in illa iurisdictione, in qua conuenit, vel conuenitur, careat. Poſſeſsionatus autẽ ille dicitur, qui bona fundi poſſidet ex aſſe, aut in parte, huc etiam Emphitheuticus, Feudaliſué poſſeſſor refertur, modo in proprietate illum bona poſſeſſa concernant: alioquin vſufructuarius tantùm, non cenſetur hîc pro poſſeſſore. l. ſciendum ff. qui ſatiſdare cogantur. Ius † verò Saxo-
3 nicum dicit, non eſſe obnoxium cautioni præſtandæ, qui ad quantitatem Verigeldi bona poſsidet lib: 2. art. 5. quod ſi rei controuerſæ æſtimatio excedat, in ſupplementum cautio accedat oportet, SS. l. 1. ar. 5. vbi hæc ambiguitas explanatur, vt videlicet ſi actio iniuriarum intentetur, poſſeſsio

Verigel-

Verigeldo correſpondens, elidat cautionẽ, ſecus in ciuilib⁹, vbi agitur pro ſũmis peccuniariis eũ valorem excedentibus. Iur. Mun. ar. 27. Neq; diſparitatẽ † mirêre, dum & fideiuſsio 4
ipſa in ciuilibus ſit periculoſior, quàm criminalibus. nam in criminalibus fideiuſſor principalem non valens ſtatuere, non ſubiacet pænis illius, ſed Verigeldo ſoluto, aut pæna arbitraria iudici luita, laxatur & abſoluitur. In ciuilibus autem, quantacunque ſumma à principali debeatur, vltra Verigeldum fideiuſſor ſoluere, omniaque onera ſubire, & in ſuos humeros recipere tenetur, in defectu ſtatuti principalis. SS. l. 2. ar. 16. Porrò
ſi quis † puta poſſeſsione carens, ſatiſdare geſtiens fideiuſſoribus idoneis careat, tũc cautioni iuratoriæ committi poteſt. per auth. Generalem. C. de Epiſc. & Cleric. Et praxis Curiæ 5

Reg. idem retinet, prout inter Bronowski & Witalifzewski, Anno 96. ibidem decretum fuit, vt & in eo genere actionis multotiés. verùm in tali iuramento exprimi debet, quòd non poſsit habere copiam fideiuſſorum. l. 1. § ſuper pecul. C. de aſſertione tollenda. Nam bona immobilia, quæ liti ſufficiant, poſsidens, nuda promiſsione verbali cauet. interdum à ſtabilium bonorum immuni, pignoribus datis ſatiſdari ſolet, vt gl. in l. 1.
6 ff. qui ſatiſdare cogantur. † Enimuerò honeſtiorum perſonarum, officio aut dignitate præeminentium, reſpectus in iure habetur. vel cùm parens, aut patronus in iudicium vocetur: ab his enim qualisqualis cautio accipi de iure prætorio indicitur. æquum eſt enim, vt cui reuerentiam & obſequium debeas, eundem cautionibus etiam exquiſitis, non adeò ſtringas. pro-

inde contrarium attentans, 50. aureorum pænam luito. iux. l. 1. & 6. ff. in ius vocati vt caut. Agat † autē quis 7
criminaliter contra alium, talis pro pæna talionis satisdare cogitur, si sit possessionatus, & ad certam summam se inscribat. sin impossessionatus, aut cautionem fideiussoriam præstare debet: aut iudiciaria potestas in vinculis tantisper eum detinebit, donec in causa cognoscatur, habita tamen ratione dignitatis. l. pen. & vlt. C. de accusat. & SS. lib: 1. ar. 61. Porrò Reus † criminaliter accusatus (licèt mul 8
ti multa probent & reprobent eo in casu) in atrocioribus criminibus nimirum, homicidio, adulterio, crimine læsæ Maiestatis, & similibus, neutiquam cautioni fideiussoriæ cōmitti potest aut debet, nisi fortè actio ea pernoctata fuerit. SS. lib: 1. àrt. 65. & Iur. Mun. ar: 31. Vbicunque enim in-

tercedit fideiuſſoria, iam conquieſcit rigor actionis criminalis, ſed neque fideiuſſores ipſi, vt dictum eſt, etiam in grauiſsimis delictis, aliqua corporis pæna plectuntur, Quare Magiſtratus quiuis debet in eo eſſe cautus oculatuſq́ue, ne facinoroſi homines, per eiuſmodi cautiones, ſcelerum impunitatem, exindeq́ue peruicaciſsimam deteſtabiliora patrandi proteruiam
9 conſequantur. Vel † demum accuſatore ceſſante, in criminalibus quoque, reus fideiuſſoriæ cõmittitur. prout quidam Węgrzynek ciuis Cracouień. reus necis cuiuſdam Lochocki, in vinculis detentus, per decretum S. R. M. Anno 1591. fideiuſſoriæ cautioni demãdatus fuit. ea tamen lege, vt ſi accuſator quiſpiã pro eodem crimine emergeret, iudicio comparere
10 ſtipularetur. Denique † notandum eſt, quod fideiuſſor moleſtari non de-

bet,

bet, quamdiu principalis conueniri & excuti poteſt. SS. lib: 1. ar. 6. Cui praxi iuris Saxonici, minimè aduerſatur iudiciũ Curiæ Regalis, per quod vti ſæpè haud diſsimiliter, ita & in cauſa Magnifici Raphaëlis á Leſzno Caſtellani Sremeñ. actoris, & Alberti Cuprifabri Ciuis Calliſien. citati, anno 1593. decretum fuit: Quodſi principalis abſit ab illa iuriſdictione, fideiuſſor verò eſt præſens, tunc dantur ipſi à iudice dilationes quærẽdi principalem. Auth. de fideiuſ. § fideiuſſori. Coll. 1. & SS. lib: 1. art. 6. Et ſi intra regnum ſit principalis, tres quindenæ induciarum fideiuſſori cedent, ſin extra regnum, tunc idem ſpacium triplicari ſolet, videlicet ad 18. ſeptimanas. Si conquirere † nequit principalem fideiuſſor, in locum & omnia onera principalis debitoris ſuccedit, ita nimirum, vt illi vti liceat omnibus 11

exceptionibus, defenſionibusq́; quibus ille ad tuendã ſuã cauſã vſus fuiſſet. Iur. Mun. ar. 34. gl. & hinc vel iure debitoris ſe defendet, vel ſi in hoc deficiat, debitum, pro quo cauit, ſoluet. SS. lib: 3. art, 10. gl. & lib. 1. ar. 65. E-
12 nimuerò † ſpondeat quis, accuſatum pro debito neq; dùm conuictum, in iudicio ſiſtere, atque ille interim moriatur, non tenetur fideiuſſor defunctum ſtatuere, ſed ab ipſa cautione liberabitur, ſi modò principalem vita ſublatum demonſtrauerit. SS. lib: 3.
13 art. 10. Coniunctæ † autem manus fideiuſſor, hoc eſt cùm multi ſimul de ſoluendo cauent, in iudicium vocatus, vniuerſum quidem ipſe debitum numerare cogitur, ſed ea lege, ſi eius ſocii, vel non ſunt ſoluendo, vel conueniri non poſſunt. Cæterùm ſi plures conuenti fuerint, pro quota portionis virilis, ſoluere debẽt. Iur. Mun.

ar. 31. & SS. lib: 3. art. 85. & ſi vnus eo caſu in ſolidum conueniatur, habet exceptionem Epiſt: Diui Hadriani. ſi tamen ſoluerit in ſolidum, indebitè illud ſolutum, ope illius exceptionis, non poterit repetere à creditore per cōdictionem indebiti, confideiuſſores tamen conuenire poterit. Schneideuinus lib: 3. tit: 15. de indebito. & DD: hîc. Adhæc † ſtipulatus es Titio 14 ſecuritatem ſoluẽdi pro Seio, Titius & Seius te neſciente, vel non conſentiente, mutârunt inter ſe contractum, hæc illorum nouatio contractus, tollit fideiuſsionem tuam. SS. lib: 3. art. 9. & Iur. Munic. 117. Deinde † ſpopondiſti pro edendo iureiurando alteri- 15 us, ille interea moritur, & quia minus æquũ eſſet, te cōceptis verbis, pro negocio incognito, iurare debere, ideo gloſ. SS. lib. 3. ar. 11. diſponit, vt quod certò credis defunctum illi creditori

nihil debere iures. ſed & hæres illius defuncti tenebitur iurare, ſibi videlicet de debito controuerſo nihil conſtare. Quodſi remordente conſcientia iuramentum tale detrectaueris, iudicatum ſolues, ab ipſo pòſtmodũ hærede defuncti numeratum repetiturus. SS. quo ſupra gl.
16 † Obligatio etiam fideiuſſoria, præſertim ea quæ fit ex contractu, tametſi de iuris ciuilis diſpoſitione traditur, quod tranſeat ad hæredes, prout l. veteris. C. de contrah. & cõmitten. ſtipul. Tamen iuxta DD. diſtinctionem aſſeuerantium cum d. l. tales obligationes ad hęredes ſemper tranſmitti debere: at ſi factum eius obligationis tale ſit, quod perſonæ promittentis non adhæreat, & quod per alium quempiam impleri poſsit, tali caſu hæredes non teneri ad obligationem fideiuſſoriam ſuſtinendam. Identidem quoque enoda-

ri poſſunt textus SS. lib: 1. ar. 9. & Iur. Munic. 118. quamuis prima fronte videantur contrarium innuere. Quare & Iudicium Cur. Regal. inter Pártácz & Bádowski Anno 91. non abſimili itidem ratione motum decreuit, enuncians fideiuſſorium nexũ extendi ad hæredes, maximè exinde quod actio vigore obligationis fideiuſſoriæ, in rem potiùs, quàm perſonam ab actore directa fuerit. Huc facere poteſt textus SS. lib: 1. artic. 6. egregium eo in paſſu dogma portendens, vt hæredes ex quocumque contractu facto per defunctum, non ſtringantur ad ſoluendum, niſi de quibus hæreditas fuerat ampliata, vel quę perſonaliter fuerat ſtipulatus, vt Inſt. de fideiuſ.



PROCESSVS Iudiciarij Pragmatici.

PARS II. TITVLVS I.

De Exceptionibus.

Summæ.

1. *Exceptiones vnde dicantur, & quotuplices sunt.*
2. *Declinatoriæ varijs ex causis opponuntur, aut ex parte Rei, aut actoris.*
3. *Declinatoriæ ex parte Iudicis quomodo.*
4. *Iudex in propriò negocio cognoscens recusatur.*
5. *Exceptio declinatoria contra actorẽ qualis.*
6. *Filius familias absq; consensu patris non potest agere.*
7. *Actor qualis in iudicio locũ stãdi non habet.*
8. *Contrà procuratorem quomodo excipitur.*
9. *Exceptio contra citationem qualiter texitur.*
10. *Contra propositionem seu libellum exceptiones.*
11. *Declinatoriarum permulti modi.*
12. *Dilatoriæ exceptiones quæ.*

13. *Petens*

13. *Petens ante tempus quomodo punitur.*

14. *Pupillus, vel adultus, contra tutorem vel curatorem, & similes, immaturè agentes excipiuntur.*

15. *Agens quomodo peccet contra ordinem.*

16. *Dilatoriæ exceptiones ante litem contestatam probari & opponi debent.*

17. *Peremptoriæ exceptiones, quæ sint, & quando valeant.*

18. *Peremptoriæ quomodo perimunt actionẽ.*

19. *Peremptoriæ exceptiones, aliæ sunt defensoriæ.*

20. *Aliæ perpetuæ.*

21. *Nouatio contractus quid sit, eiusque exemplum.*

22. *Apocha vulgò quitantia, & de ea praxis Curiæ.*

23. *Ordo exceptionum qualiter opponi debeat.*

DELIBATA sunt in genere ea quodammodo, quibus reus conuentus, litis ingressum legittimis modis & permissis defensionibus, procrastinare, sin minus perimere queat. In quo
1 genere † sunt exceptiones, ideo sic

dictæ

dictæ, quòd excipiant & excludant intentioné actoris, quarum aliæ sunt declinatoriæ, aliæ dilatoriæ, aliæ pe-
2 remptoriæ. Declinatoriæ † sunt, dum à citante iudice comparendi recusatio obiicitur: variis autem hoc contingit modis. aut ex parte ipsius Rei declinare volẽtis, vt si dicat, illius iudicis se non subesse iurisdictioni, nempè quod sit aut Clericus, aut Nobilis, aut miles, aut scholasticus, in vniuersitate priuilegiata studẽs, & id genus similes declinationũ causas alle-
3 gãs. aut † ex parte iudicis: vt si Reus dicat iudicem eum sibi esse inimicũ capitalem, atque de ferenda æquitate ideo suspectum; quod sit maleficus, infamis, minor 25. annis, surdus, mutus, furiosus absque lucido interuallo, Iudæus, vel hæreticus, &c. & quamprimùm constet aliquam istarum causarum esse verã, iuris dicun-

di autho-

di authoritatem, propter exceptionis obiectum, in proposito negocio, exercere haud permittitur. l. Casſius. ff. de Senat. cui accedat c. cum 20. annum. De officio delegati. l. ſeruus. C. de iudiciis. l. quod attinet, ff. de regulis iuris. l. cum prætor. ff. de iudiciis,& l. fin. C. de Iudæis & cælicolis. † Aut ſi iudex in proprio negocio 4
ius dicere contenderet, recuſari debet. l. 1. C. ne quis in ſua cauſa. Contra actorem † declinando ſic excipitur, 5
quod ſit ſeruus, quem ius ciuile pro mortuo habet. l. ſeruus. C. de iudiciis. Quod pupillus, vt qui niſi per tutorem, neque ciuiliter, neque criminaliter agere permittitur. l. clarum. C. de auth. præſtan. Si minor 21. annis, ſine curatoris authoritate agat, ſi ſit prodigus, & cui bonis interdictum eſt, furioſus, ſurdus, mutus, fatuus, ſiue mente captus, abſque curatoris enim

authoritate, tales agere nequeunt. l. dabimus. ff. de priuileg. creditor. l. ſurdo. & l. fatuo. ff. de poſtulan. Inter † maritum & vxorem, vltro citroq́ue etiam famoſæ actiones locum nō habent, præſertim matrimonio conſtante. l. diuortij. C. rerum amotarū.
6 Item † filiusfamilias abſque cōſenſu patris agere non poteſt. l. fin. C. de bonis quæ lib. niſi fortè ſit demens
7 pater, aut turpis perſona. † Banniti quoque ſeu proſcripti è regno, infames, capite diminuti, iure priuati, locum ſtandi in iudicio non ſortiuntur. Monachi etiam citra ſuperioris iuſſum agere vetantur, niſi fortè ſpoliationis cauſâ, idq́ue ſuperiore abſente præſertim in itinere, vt in Authent. ingreſſi. C. de ſacroſanctis Eccleſiis.
8 Deinde † contra procuratorē, quod ſit excommunicatus, quod mulier, monachus, quod prætor in loco cau-

ſæ, & iudex in eadem prius actione, quod plura agat quàm eius mandatũ in ſe contineat, quod ipſius procuratio ſeu plenipotentia ſit generalis, quæ deberet eſſe ſpecialis, quod mandatum plenipotentiæ ſeruiat ſibi ad agẽdum, non ad defendẽdum, quod ipſius procuratorium ſit reuocatum & finitum, quod ſit falſus vel præuaricator, quod principalis ſuus carebat poteſtate ſe conſtituendi, qui enim ipſe agere nequit, neq; per alium poteſt, quod ſit potentior ideo metuendus, quod infamis, quod ſua ciuitate eiectus, quod ſit redemptor litium alienarum, quod plenipotentiam ſuã reſignauerit, quod non ſit legittimè conſtitutus, quod ſit ſubſtitutus ab alio procuratore, nondum facto litis domino, videlicet ante litis conteſtationem, &c. & exceptiones contra procuratorem quouis tempore pro-

9 poni poſſunt. Contra † citationem excipitur, quod ad locum inhoneſtũ, & minùs tutum, vt vbi eſt timor hoſtium, vel peſtis, vel vbi ſunt inimici, quod facta ſit die feſto vel celebri, vel in ea terminus pro die feſto vel feriato præfigatur, quod facta ſit in balneo, templo, taberna, ante ortum, vel poſt occaſum ſolis, vel ſibi data, dũ funus duceret familiare, vel dum nuptias celebraret, de quibus taliſmodi exceptionibus affatim tractant multæ ll. ff. de in ius vocando. Con-
10 tra libellum † ſeu propoſitionem, ſi inſufficientem vel indeterminatã petitionem exprimat, dum non continet nomen actoris, vel res petitas, nec continet debitam ſpecificationẽ rerum, quòd ſit conditionalis, & nimium generalis, in qua non exprimuntur certa bona controuerſa, vel qualitas, quantitas, numerus eorum. quã-

do non exprimitur, an res tota vel in parte petatur, aut in mensurabilibus certa mensura non explanatur. dum in ea non continentur debitæ circumstantiæ, videlicet causa vel factum, obligatio, actio, an ex emptione, vel venditione, petitionis emergentia consurgat, an obligatio ex facto, siue ex causa nascatur, an ipsa actio ex obligatione prodeat: alioquin ad huiuscemodi propositionem, reus respondere non tenetur, de quibus plurima nota in tex. & gl. l. si in rem ff. de rei vendicatione, & l. 2. § si quis autem. ff. de deposit. & l. in actione ff. de furtis. Nisi reus sponte se ingerens in causam, talem propositionem recipiat & respondeat. † Sunt & aliæ 11
permultæ declinatoriæ, vtpotè ratione rescripti, quando vires ipsius comminuuntur, ex parte loci, temporis, fori, causæ, quæ quotidiè in praxi tri-

ta & vſurpata, præſtat vſu & habitu cōprehendere, quàm per longas ambages, tot chartas faſtidioſa talium
12 recenſione opplere. Dilatoriæ † exceptiones ſunt illæ, quæ actionem in aliud tempus differunt, vt ſi feciſti pactum de non petendo ſolutionem ad certum tempus, ſi ante petis, habet debitor exceptionem. l. 3. ff. de excepti.
13 pti. Nam † dum ante tempus ſolutio petitur, quia eo caſu plus tempore poſtulatur, ex Zenoniana conſtitutione, duplicanda præſtolatio ſoluendî actori iniungitur. § hodie autē Inſtit. de except. & l. excep. C. de
14 probat. Item † pupillus vniuerſalem rationem exigat, antequam finiat tutela, adultus antequam expiret curatela, debitor ante oblationem, vel debiti ſolutionem, pignoraticiam inſtituat actionem, nempe pro pignore ſibi extradendo agens. Vel hæres vl-

tra quartam partem hæreditatis exigens, vxore patris adhuc prægnante, talium actiones ad iustum tempus in suspenso habentur. l: nisi finita. ff. de tutel. l. soluatur. ff. quibus modis. pignor. l. 1. ff. si pars hæredit. † Item ra- 15
tione ordinis, veluti dum quis familiæ herciscundæ, aut communi diuidundo prius agere instituit, quàm heres esse permittatur, vel dominus, quo casu prius oportet declaretur iudicialiter heres, aut dominus rei, pòst modũ iudicio diuisorio erit locus. l. 1. ff. famil. herciscun. & l. fundi quẽ. ff.
de excep. Et † huiusmodi exceptiones 16
dilatoriæ, non solùm proponi, sed & probari debent, ante litem contestatam, neque enim possunt reddere iudicium nullum, postquam fundatum est, secundùm Bald. in l. except. ff.
de except. PEREMPTORIAE † sunt 17
exceptiones, quæ rem de qua agitur

cum ipsâ causâ perimunt, totamque destrunt actionem, & hæ tam ante, quàm post litis contestationem, etiam in termino prosequendæ appellationis, quodq; magis in termino quoque exequutionis opponi possunt, iugulantque totum causæ negotium. l. per hanc. C. de temp. & reparat. ap-
18 pellat. Tales † autem exceptiones, tum perimere dicuntur causam ipsã, vel ipsius exequutionem, latâ iam sen tentiâ, non quòd eam impugnẽt, vel iniquitatis, aut iniusticiæ arguant, sed quia contra actorem ipsum oppositæ, eandem perimunt, & exequutionem indebitè extendi cæptam præcidunt. l. ex aduerso. § fin. ff. soluto matri-
19 monio. Proinde † exceptiones istæ, aliæ sunt defensoriæ, quæ etiam ipso iure tollunt & perimunt omnem actionem, vt sunt, solutio, acceptilatio, quę liberatio seu quietatio est per mu

tuam interrogationem: vt facisné me immunem & liberum à tali debito? si creditor respondet, facio. etiam non facta reali solutione, acceptilatio talis in multis similibus appellari solet, vt l. prima. C. de acceptilat. Compensatio, dum debita debitis eluuntur, quando debitum est liquidum, nec impugnat quidem sententiam, sed exequutionem impedit, ne bis idem exigatur, quod bona fides non admittit. l. bona fides. ff. de regulis iuris. Aliæ † autem perpetuæ dicun- 20
tur exceptiones peremptoriæ, quòd semper locum habeant, & nunquam euitari possint, semperque obstant agēti, etenim si is desijsset agere ad mille annos, & licèt actio sit temporalis, exceptio tamē dicitur perpetua, quia quæ annua sunt ad agendum, ea perpetua sunt ad excipiendum, qualia sunt, Pactum de non petendo, Iusiu-

randũ de non agẽdo, Exceptio doli mali, Quod metus cauſa, Quod per errorem promiſſum. Non numeratæ pecuniæ, Rei iudicatæ. Item quæ contra leges Senatus Conſulta facta eſſe dicuntur, tum præſcriptio, Tranſactio, Liberatio ſeu Quietatio,
21 Quod vi, Nouatio † contractus id eſt prioris debiti, ſeu contractus, in aliã obligationem cõmutatio, vt hic Vlpianus in l. prim. ff. de nouationibus, vbi ponit exemplum, v. g. Ego fui tibi obligatus centum florenos perſoluere, dum Seren. Rex Poloniæ Sigiſmundus III. reuerſurus erit è Moſchouia: & interim per nouum contractũ, conuentum eſt inter nos, quod dictos centum florenos, ſine conditione vlla perſoluam pro feſto Paſchæ, anno
22 1613. † Apochæ item, vulgò quitanciæ ſolutionis factæ exceptio eſt peremptoria, poteſtque prout & aliæ ſimi-

les opponi in termino exequutionis. quemadmodum etiam per iudicium DD. Aſſeſſorum, in cauſa inter Ogonek & Raczyborski, anno 99. citato, dilatio ad producendam Apocham conceſſa fuit, locuſque habitus fuit, ei exceptioni peremptoriæ, in termino exequutionis. Ordo † deniq; ex- 23
ceptionum opponendarum, talis fermè ſeruari debet. Primò quoâd fieri poteſt iuriſdictionis nullitatem, vel iudicis incompetentiam, & exinde recuſationem, ſi qua inueniri poterit, inferat. Deinde his non currentibus, ex perſona ſua reus excipiat. Prętera perſonam actoris diligenter diſpiciat, an ope exceptionis alicuius ab agendo retundi poſsit. Poſtea locus datur, citationem ſi non vicioſa, ſi non erronea, ſi ordinata, tum eius poſitionem, indeque terminum, &c. excutiendi. Poſtmodùm cõtra pro-

curatorem: Demùm contra libellum ſeu propoſitionem: & hæ, quin & ſexcentæ aliæ, quæ declinant reum ab onere actionis, vel differunt ab eo rigorem iudicij, & cauſæ in aliud tempus: ſemper ferè ante litis conteſtationem proponuntur. deſideratis iam talibus dilatoriis vel declinatoriis exceptionibus, ad peremptorias recurrendum venit, quas recenſuimus, vel quæ aliæ comperiri oportunè poſſunt, earumq́ue vel vna ſuffecerit, ad negocium actionis iugulandum, ſublato enim principali, tollitur acceſſorium, l. eos. C. de vſuris, & l. Papianus. ff. de inoffic. teſtament.

TITVLVS II.
De Litis conteſtatione.

Summæ.

1. *Litis contestatio auspicium sumit, à narratione Actoris, & responsione Rei.*

2. *Non omnis responsio inducit litiscontestationem.*

3. *Ad litiscontestationem intentio partium requiritur.*

4. *Reus vt litem contestetur, quali contextu verborum vtitur.*

5. *Duo requiruntur ad litem contestandam.*

6. *Respondens, sed protestans se non animo litem contestandi dicere, quid?*

7. *Litiscontestatio præsumitur, ex verbis aptis, & appositis.*

8. *Litiscontestatio per quas personas fieri potest.*

9. *Tempus litis contestandæ quod.*

10. *Litiscontestatione à partibus obmissa, processus interdum valet.*

11. *In causis leuioribus, non est opus litiscõtestatione.*

12. *Litiscontestationis qui effectûs; & quòd per eam actiones perpetuentur.*

13. *Actio doli non perpetuatur per litiscontestationem.*

14. *Litiscontestatio præcludit viam exceptionibus non peremptorijs.*

15. *Post litiscontestationem, iuramenta, &*

probationes, legittimè recipiuntur, nec tunc iam reuocatur mandatum procuratoris.

16. *Post litem contestatam, procuratores tanquam domini litis, alios substituere possunt.*

17. *Per litisconte stationem, possessor etiam bonæ fidei, in dubium vocatur.*

18. *Litisconte statio defuncti, in causa pro delicto, stringit hæredem in solidum quandoq́.*

19. *Actiones pænales per defunctos litisconte statione controuersæ, transeunt ad hæredes.*

20. *Litisconte statio in omni re controuersa regulariter est necessaria.*

DVM nullum amplius fulcrum exceptionis, neque contra iudicem aut eius iurisdictionem, neque contra actorem, neque contra libellum, aliaque memorata, suffragabitur, quo prolatandi, vel declinandi, vel iugulandi negocium causæ, vel iudicium subterfugiendi concedatur. ad litis contestationem tandem, quod iam totum est iudicij fundamentum prolabi vacabit.
1 † Et lis tunc videtur esse contestata, dum iu-

dex per narrationem actoris, & reſponſionẽ Rei, negotij cauſam audire & diſceptare cæperit, l. 1. C. de litis conteſt. quare per litis conteſtationem iudicium accipit exordium, & ſine ea proceſſus eſt nullus. vt SS. l. 1. ar: 92. & lib: 2. ar. 2. & ar. 9. & l. 3. ar. 30. & 90. ideoq; per illam reus iudici ſubiicitur, † quamuis non omnis reſponſio cenſetur litis conteſtatæ vinculo arctari, nam arguens reus exceptiua reſponſione intention em actoris, necdum litem conteſtatur. quam diu enim me non debere reſpondere defendo, tamdiu non reſpondeo. 2
E. g. agis contra me nomine debiti, ego me & te alterius iuriſdictionis clientes aſſero, poſtuloque remitti ad competens iudicium, hîc non eſt reſponſio, ſed detrectatio reſponſionis, SS. l. 2. ar. 9. & l. 3. art. 30. † Narratio ergo & reſponſio ad litem conte- 3

ſtandam ſufficienter inducenda venit, reſpõdeatque oportet reus, & ea intentione vtraq; pars controuertat, vt iudici negociũ ſubiiciatur. Talib⁹ autem vulgò verbis iudicio nos ſubmittim⁹,
4 † vel affirmatiuè vel negatiuè *Dico narrata prout narrantur, non eſſe veritati conſona, & petita quę petuntur fieri non debere, idcirco peto me ab impetitis abſolui*: vel affirmatiuè, *Quę proponit actor contra me non diffiteor quidem á me facta eſſe, ſed iure me feciſſe aſſero, tali & c. tali ratione: quare ab ea inſtantia, peto me liberum pronunciari.* quo caſu fit, vt ſi talia confeſſata reus in iudicio non dubitet inferre, vehementer fidit ſuis exceptionibus, cauſam vel iudiciũ perimentibus.
5 † Duo autem præcipua ad litis conteſtationem requiruntur: Primò, animus, & voluntas litem cõteſtandi ex verbis, iuxta formulam conſuetam, ad litem

conte-

conteſtandam præſumptis & expreſſis, non enim verbis intentio, ſed intentioni verba ſubſeruiunt. c. humanæ aures. 22. q. 5. Vnde † etſi quis ad 6
propoſitum libellum reſpondeat negando aut affirmando, nihilominus apertè proteſtetur ſe dicere & reſpondere, non animo conteſtandi litem, poſtea tamen vlterius procedat in reſponſione ſua, vel narratione facta, illius ea reſponſio non cenſetur pro lite conteſtata, nempe quòd eam expreſsis verbis negârit, licèt re ſecus oſtenderit, ipſius enim verba non facta, iudex æſtimare debet arg. l. Si mihi § interdum. & l. ſi ita ſit adſcriptũ. ff. de lega. † Secũdò, requirũtur ver- 7
ba apta & appoſita, per quæ apertè poſſet præſumi litis cõteſtatio. c. iſta ſufficiunt per d. c. Humanæ aures. ext. de ſponſa. c. Tuæ. Fieri † autem 8
poteſt litis conteſtatio per procura-

toreslegittimos principalium, vel ipſos principales, ſyndicos, vel actores tutores, & curatores, vel per eas duntaxat perſonas, quæ locum ſtandi in iudicio habent. l. rem non nouam § patroni. C. de iudiciis. Tēpus † au-
9 tem litis conteſtandæ eſt poſt exhibitum & porrectum libellum, & poſt inducias & dilationes ad deliberandum datas, c. offeratur, 3. q. 3. quod
10 ſi † ex negligentia partium omittatur litis cōteſtatio, nihilominus valet proceſſus. l. iuſiurandum & ad pecunias. § qui iuſiurandum ff. de iureiurando.
11 In breuibus † autem litibus, quæ de plano, aut ſine figura iudicij diſcutiuntur, nulla poteſt fieri litis conteſtatio, vt Speculat. lib: 2. par. 1. de litis
12 conteſt. Effectus † verò eius hi numerantur: Primus, quòd per eam omnis actio perpetuetur, id eſt, facit vt per præſcriptiones longiſsimi tem-

poris currat, tranſeatq́; ad hæredes. l. ſæpè. C. de præſcr. 30. vel 40. annor. niſi † tamen actio ſit doli; nam 13
hæc nuſquam perpetuari poteſt per litis conteſtationem, l. vltim. C. de dolo. Secundus, interrumpit quamlibet præſcriptionē. c. poteſt. 26. q. 3. etiam ſi ipſa facta fuiſſet coram arbitro, l. penult. C. de recept. arbitr. Tertius, quòd † nec iam amplius re- 14
cuſari iudex, nec vlla exceptio declinatoria obiici poteſt. c. inter monaſterium ext. de ſenten. & re iudic. Quartus, poſt eam † iuratur, & proba- 15
tiones recipiuntur, quod antè non fit regulariter. extra. vt lite conteſtata. Quintus, iam nō poteſt reuocari mandatum procuratoris, niſi certis & dignis ex cauſis. l. poſt litē. & l. ſequēti. ff. de procurat. Sextus † poſt eam 16
procurator & tutor, tanquam dominini litis, procuratores alios ſuo loco

ſubſtituere poſſunt. l. neque C. de litiſcont. Septimus, poſt eam clauditur via multis malis, & reus ſubiicitur iudici,& obligatur actori. Octauus, in
17 petitione hæreditatis † conducit, ita vt per litis conteſtationem etiam bonæ fidei poſſeſſor quodammodo in mala fide conſtituatur, ſicq; ad res quæ extant, vſuraſque pecuniarum quas percepit, atq; item fructus, quibus eſt locupletior factus obligetur. l. item veniunt. ff. de petit. hæredit.
18 Nonus, dum † delicta perſequimur,& reo pro his conuento litem conteſtāte defuncto, hæredes in ſolidum ſoluere ſæpenumero teneri. Bart. in l. Senatus. ff. de officio præſidis,& DD. in l.1. C. ex delictis defuncti. Deci-
19 mus † actiones pænales ſi ab ipſis principalibus perſonis per litem fuerint conteſtatæ, tranſeunt ad hæredes. & rectè Vlpianus ait, actionem iniuria-

rum in bonis nostris non computari, antequam litem contestemur, § pœnalis Instit. de perpet. & tempor. action. & l. iniuriarum. ff. de iniuriis. Regulariter † autem litis contestatio 20
in omni re controuersa exigitur, in qua facti disceptatio habenda præsumitur, siue sint iudicia possessoria, siue petitoria, ex delicto, vel quasi: vt Bald. in l. naturaliter § nihil commune. ff. de acquir. possess.

TITVLVS III.

De Controuersiis partium.

Summæ.

1. *Iuramenti de calumnia, sed & reconuentionis, in Regno nullus vsus.*
2. *Post litem contestatam actor proponit, reus respondet vel excipit.*
3. *Post propositionem & responsionem, variæ plicæ disputationum texuntur.*
4. *Cracouień. iuxta informationem Regiam certum scopum controuertendi seruant.*
5. *In causis leuioribus, vel inter miserabi-*

les perſonas longa ambages controuerſiarum reſcindendæ.

6. *Duplex quæſtio in iudicijs, facti, & iuris.*

7. *Quæſtio de facto quomodo ducatur.*

8. *Quæſtio facti non poteſt certâ formâ præſcribi.*

9. *Quæſtio iuris quid & quomodo ſit?*

10. *In quæſtione iuris, varij & indefiniti caſus & articuli.*

11. *Occaſiones controuertendi recenſentur.*

12. *Quomodo leges allegare competat.*

13. *Obuiâ legum ambiguitate, ad reſponſa DD. recurrendum.*

14. *In legibus ſophiſmata cauenda.*

15. *Sophiſmatis legiſtici exemplum.*

16. *Vlteriora controuerſiarum viſcera quo pacto reficienda.*

17. *Actor quãtas allegationes cõgerere debet.*

18. *Citati ferendarius quâ arte actoris allegationes ſubuertet.*

19. *Topica controuertibilia referuntur.*

20. *Exemplum reponitur controuerſiarum per partes conſeri ſolitarum.*

POST litis conteſtationem deueniri deberet ad præſtandum iuramẽtum de calumnia, idque primò acto-

ri quàm reo, quod fit per verbum credo vel existimo: vt l. secũda. C. de iuram. calum. Deinde ad reconuentionem sibi, si quæ necessaria esset à cõuento reformandam, vt SS. l. 1. ar. 61. & l. 3. ar. 12. † Sed in Regno cùm iu- 1
ramenti de calumnia, tum reconuentionis, ex praxi consuetudinaria neutiquam, quod bene sciam, vllus habetur vsus. nec etiam mirum, quòd à tractatu ipsorum hîc supersedeatur.
Postquam † itaque partes litem con- 2
testatæ fuerint, actor quidem per libelli seu propositionis insinuationem contestans, per negationem, vel affirmationem exceptionis ritum præseferentem, respondet, vel exceptiuè nititur elidere intentionem actoris.
Actori † porrò ad excludendas com- 3
primendasué Rei vel exceptiones, vel responsiones cõpetit replicatio. Super quam Reus duplicat, Actor ad

Rei duplicã triplicat, Reus verò contra actoris triplicam quadruplicat, & ſic deinceps iuxta conſuetudinẽ locorum, & plebiſcita ciuitatum, de multitudine earum plicarum, ad certos limites ſiſtenda.
4 Cracouiæ † receptum eſt (id autem ex informatione piæ memoriæ Stephani Regis retinent) quod poſt quadruplicam Rei, vlterius enim hæ plicæ ab eis non texuntur, actor in inſtanti ſolet contradicere, cuius contradictionem quoque citatus in continenti refutat, nam Reo ſemper remanet vltima & poſtrema reſponſio, l. 2. § illud ff. de excep.
5 Quæ † controuerſiarum frequentatæ diſputationes (præſertim dum per multas ambages plurimis dilationibus, ad eas referendas laboratur) in cauſis leuioribus, vel inter miſerabiles perſonas reſcindi vel reſtringi in breuius deberent, dum ſæpenumerò

ſit, quod tales tricæ non adſerendi litigatorum iuris gratia protrahunrur, ſed potiùs vt veteratorum temerè litigia fori anhelantium libidini ſatisfiat: hinc iudicia interim inſidioſè
procraſtinari videmus. † Bifariâ au- 6
tem diſputari ſeu controuerti in cauſis contingit, vel de quæſtione facti,
vel iuris. Quæſtio † de facto eſt, quã- 7
do alter rei propoſitæ veritatem ſatis ſe demonſtraſſe adſerit, alter ita eſſe negat. Vbi opus eſt artificiũ ex Rhetorum potiùs præceptis petere, quàm ex iuriſprudentiæ dogmatis: vt videlicet factum coniecturis, circumſtantiis, præſumptionibus, indiciis, aliiſque argumentorum topicis ſedibus illuſtretur, hinc multiplices probationes, teſtium depoſitiones, fides inſtrumentorum, atque alii id genus tituli, ad talem veritatem facti indagandam, conglobantur. Quæ talia

vt quis ſcitè ad cauſam applicet, non ſolùm theoremate iuris fulciatur, ſed ipſius quoque encyclopediæ habitu perfectus habeatur neceſſe eſt. Non
8 enim † poteſt certa forma controuerſiarum, aut ratio ad ambiguitatem facti diſquirendam præſcribi: vt in l. teſtium § eiuſdem. ff. de teſtibus. Non ſiquidem certò definiri poteſt, ad quē modum probandæ cuique rei ſufficiant argumenta.
9 Quæſtio † iuris eſt, quoties propoſitæ rei veritas in propatulo eſt, neque in dubium vocatur, ſed de eo quæritur, an ex ipſo facto tale ius oriatur, vnde actor aſſequi poſsit quod intendit. Et licèt ius ſit definitum, generaliter tamen conſtituitur: omnes enim articuli ſigillatim aut legibus, aut Senatuſconſultis cōprehendi non poſſunt, ſed & cætera quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certa iuriſ-

dictione ſuppleri oportet, adeoque ad ſimilia referri. l. neque leges. ff. de legib. & Senatuſconſ. † Varij 10
item & indefiniti articuli illi, atq; caſus legibꝰ ſingulatim non cõprehenſi, varias inter humana ingenia ambages intrudunt, hinc fit, vt inductis iam probationibus, aut re, quæ controuertitur alioquin manifeſta, litigãtes pro aſſertione ſua vindicãda, multos locos communes, regulaſque ex iure adducunt, iudici pro ſe quiſque ſententiam ferendã inculcantes ſuggerunt. † Alter dicit illum locum in 11
iure, ſuo incidenti deſeruire, alius contendit intentioni agentis eundem locum non reſpondere, atque is cõtra viciſsim ipſius dicta retundit, & iſthinc controuerſiis illis occaſio datur, quæ exceptiones, reſponſiones, duplicationes, triplicationes, &c. ſunt nuncupatæ. † In quibus & poteſtas le- 12

gum ab

gum ab vtinque allegatur, quomodo propoſitas res iuuare debent, allegare aurem leges, non eſt verba ipſa adducere, ſed vim eam & poteſtatem adſequi, cauſæque adaptare: quare & leges benigniùs interpretamur, quo voluntatem earum, atque mentem conſeruemus, l. benigniùs. ff. de
13 legibus. Quodſi † in his ambiguitas concernitur, ad interpretationem & reſpōſa DD. recurrendum eſt, ea videlicet quæ luculentiora vel in vſu frequentiora habentur, iuxta Bald. in
14 l. 1. ff. de off. quæſt. Nam † vt vbiq; ita in legibus citã dis, ſophiſmata ſunt præcauenda, perfacilis enim recurſus à dicto ſimpliciter, ad dictum ſecũndùm quid, & contra: vel ab euidenter veris per breuiſsimas mutationes ad ea quę euidenter falſa ſunt, retorqueri poteſt, proindeque iudicis parum cauti animum decipere,

& à cauſa tua vtcunque iuſta auerte-
re. Ideo quemadmodum in illis con-
iecturalibus rethorica, ſic in his diale-
ctica ſcitu eſt perquàm neceſſaria.
Ponamus exemplum.
Fructus † rei eſt, pignori dare licere. l. 15
fructus ff. de regulis iuris. Atqui omnis
fructus pertinet ad vſufructuarium. l. 1.
ff. de vſufruc. Ergo rem pignori dare li-
cebit, contra illam. l. intereſt, c. de vſu-
fruct. Quæ collectio eſt cauilloſa &
ſophiſtica, per hoc verbum fructus,
in maiori enim propoſitione pro vti-
litate accipitur, quam dominus in ſua
re habet. In minori autem, pro iure
vtendi fruendi alienis rebus, ſalua re-
rum ſubſtantia. & ſic propter amphi-
bologiam vnius vocis, quàm inſidio-
ſa illatio? Poſſent hic plura huiuſce-
modi referri, niſi breuitas intenta ſe-
cùs ſuaderet. Quodſi † patronus acto- 16
ris cauſā poſt illas allegationes vlteri

ori robore discursiuo stabilire conatus fuerit, si adhuc de facti probatione quęritur, testes omni exceptione maiores, si quos induxit, vel inducturus est, inculcet, eorumque dicta conuenientia. Postea instrumenta, priuilegia, antiqua munimenta, aliaque talismodi documenta, quæ vigore probationis simul iuncta, in mentem iudicis reuocet, eaque omnia quæ in libello proposuit, probatissima reddat idque legibus, canonibus, præsumptionibus, & verisimilibus coniecturis, aut etiam consuetudinibus & statutis, quibus probationes hoc casu fulciuntur, allegatis. quorsum illi loci spectant, de probationibus, testibus, præsumptionibus, fide instrumentorum: testium quoque dicta, si quæ discrepare viderentur, temporum, modorum, qualitatum, amussi permensus exæquet, quæ etiam potissima est

ratio conciliandi ſcripturas, quandóque leges anthinomiam redolentes. l. 1. C. de inoff. do. Atque † ſic cau- 17
ſam roboratam, intentioneq́ue probata ſtabilitam, iuris quoq; & legum allegatione fundabit, quodſi lex deſiderabitur ad caſum actionis exprimendum, ad argumenta & ſimilium comparationem recurrendum erit: vbi perutile erit, non vno atque altero argumento contentum eſſe, ſed multa congerere: taliter enim magis animum iudicis deuinciet, vt quo plures leges & rationes allegatas cognouerit, ſecundùm eius partes pronunciet, ſiquidem quæ non proſunt ſingula, multa iuuant. l. nec non. § Si quis ſæpiùs. ff. ex quibus cauſis. Neq; minus † ferendarius citati eniti debet, vt 18
actoris allegationes, ſiue in cauſa facti ſint, ſiue iuris, prudenter ſubuertat ſuiq́ue principalis, vel defenſionem,

vel intẽtionem meliori iure muniat, actorem quoque nulliter & nihil probaſſe oſtendat: vnde actore non probante, reus venit abſoluẽdus, etiamſi nihil præſtiterit. Et inprimis referet factum non eſſe probatum, adq; hoc inducendum oſtendet, neque ex teſtium dictis, neque munimentis ſeu inſtrumentis, neque præſumptionibus, neque exemplis, neq; documentis, neque vllis modis id conſtare, & hoc quia teſtes ſunt ſingulares, varij, aut mendaces, & vani, omniq; exce-
19 ptione minores. Item † præſumptiones citatas temerarias eſſe, & leuiuſculas, contrariiſq; præſumptionibus ſublatas. item exẽpla nauci facienda, quando non exemplis, ſed legibus eſt iudicandum. l. iudicium. C. de ſent. & interl. Deinde extenuet allegationes iuris & legum eſſe friuolas & fruſtraneas, ad rem negocii nihil facien-

tes, locos ipſos non reſpondere ijs quæ proponuntur, neque ſimiles inuicem eſſe, propter rationis diſsimilitudinem, quæ in eis inuenitur, cum tamen ſimilitudo rerum & caſuum ex rationis identitate peti debeat, iuxta Bald. in l. 1. ff. de iuſtic. & iure. Et quamuis dato non conceſſo, ſimile ſit vel diſsimile, quod diſceptatur, iudicis arbitrum eſt. vt idem Bald. Præterea, ſubuertet iuris allegationes multis modis, per interemptionem ex vi verborum & literæ, vel per iura alia poſteriora aut noua, per intellectum veriorem, vt l. ſcire leges. ff. de legibus. vel per conſuetudinis rationem, quâ interpretatio nititur, fieri poterit: nam & hoc modo repellitur. l. ſi de interpretatione. ff. de legibus. Plura de his lege ſpeculatorẽ. tit. de al-
legat. Pro † coronide viſum eſt exem 20
plum poni in cauſa facti multarũ con

trouersiæ plicarum. *Actor exigit & petit à Reo 40. floren. ex mutuo. Reus respondet, quod actor ipsi sit pollicitus nunquam se eos petiturum esse. Actor replicat illam promissionem vi aut dolo fuisse factam. Reus duplicat, quod ea promissio postea fuit ab actore renouata, & approbata in presentia multorum fide dignorum: Actor triplicat, quod ea approbatio promissionis facta fuit sub certa conditione postea non purgata. Reus quadruplicat, quod actor ab illis conditionibus condescenderit ipsisq; renunciârit. & sic deinceps.*

TITVLVS IV.

De Probationibus.

Summæ.

1. *Probationum in iure quis vsus.*
2. *Probatio est anima Processus.*
3. *Probatio vel actori vel reo, interim vtriq; competit.*
4. *Actor quando solus probat.*
5. *Reo quando incumbit probatio.*

24. *Iuramentum iure deferri reo, dum se a-ctor ad illud trahit.*

PRobatio est rei dubiæ in iudicio legittimè facta declaratio: diciturque quasi propalatio, vel manifestatio eius, quod dubium est. & pro-
1 bationes † potiùs faciunt in causa facti quàm iuris, quamuis promiscuè in vtriusque modi actionibus tantopere vsus, & tanta vis probationum, inoleuit, vt, quod non probetur, pro non gesto habeatur. l. in lege fundi. ff. de
2 contr. empt. In † probationibus enim formandis tota facultas iudicij ipsaq; anima processus consistit, quia qui probare non potest, is nihil ha-
3 bet, nihilque consequitur. † Probatio verò quandoque soli actori competit, aliquando solus reus probat, interdum vtrique probatio compe-
4 tit. † Actor solus probat, quando reus negat contenta propositionis

actoreæ, vel non ponit facta contraria, nec excipit peremptoriè. Reus † solus probare debet, dum 5
ad propositionem actoris, peremptorias exceptiones, seu facta contraria obtẽdit, veluti dum pro debito conuenitur, solutionem, quietationem, transactionem, pactum de non petendo, nouationem contractus, præscriptionem, & similia: deinde reus solus probat, quando ius cõmune, aut pręsumptio est pro actore E. G. † *Ego* 6
actor peto á fratre meo, certę lapideę domus sortem meam, quę iure successionis mihi debetur, ea siquidem lapidea, ad patrem nostrum, dum viueret, spectabat. Frater meus negat mihi quidquam iuris in ea lapidea competere, eo casu probare tenetur conuentus frater, quo pacto ego excludar ab hęreditaria portione mea, quod nisi probârit, ipsa pręscriptione, & iure communi dictante, obtinebo intentum.

tum. Vel quando priuilegiata perso-na, vtpotè pupillus, vidua, &c. contra te querulatur, quòd tibi nimium & plus persoluerit, quàm debuerit, tum tu probare debes, ob quam caussam illud nimium, & plus receperis, quia tales personæ priuilegiatæ decipi non possunt, quia à damno se præcustodire nesciunt, vt in Auth. vt liti iurent. § si verò mulier. coll. 9. Vel
7 quando † reus contra actorem docẽtem instrumẽtis excipit nomine falsi, ipse excipiens, falsitatem instrumenti probare tenetur. Item † reo com-
8 petit probatio, dum interponit negationem prægnantem, vt si actor habeat donationem testamentariam, eamq́ue à te petat, tu contrã testamẽtum valere negares, quòd videlicet testator non fuerat mentis cõpos. &c.
9 Itẽ † quando reus negando affirmat implicitè, vt si instaret actor me re-

ñunciauiſſe ſucceſsioni, ego reſpon-
derem renunciationem, à me inuito
vel dolo, vi, metu inducto factam, mi-
hi id incumberet probandum. Item
reus † probat, dum probationem ſu- 10
am offert & præſentat, ſemper enim
ius fauorabiliùs reo quàm actori. Iur.
Mun. ar. 35. Vterque † autem, tàm 11
reus, quàm actor probare debent,
quando vtrinq; ponuntur facta con-
traria, aliudque alio perimi conten-
ditur. l. duobus reis. ff. de iureiuran.
Quòd enim licet actori, licet & reo.
l. ſi quando. C. de dilat. Sic † vtriq; 12
competit probatio, in materiis poſ-
ſeſſoriis: nam in his vtræque partes
& actores ſunt & Rei. † Variæ porrò 13
ſunt cauſę, quibus dominium propri-
etaſque alicuius rei acquiritur, ali-
quando ex iure gentium, cùm occu-
pamus rem, quæ nullius eſt, vt feras,
beſtias, volucres, etiam in fundo ali-

enò poſsidemus, & cuſtodia noſtra coercemus, apes etiam in aliena arbore conſidentes, alueo incluſas noſtras facimus. l. natutale. ff. de acquiren. rer. domin. & Inſtit. de rer. diuiſ. Quandoque iure ciuili poſſeſsionem rei acquirimus, ſicut ex empto, hæreditate, commodato, mutuo, ſtipulato, vſucapione, aliiſque plurimis modis, in voluminibus legum deſcri-
14 ptis. Vnde † in materia poſſeſſoria cauſa agitata, probationes ſunt eo dirigendæ, nempe quòd dominium vel quaſi, rei controuerſæ, iure gentium vel ciuili acquiſitum repetatur, vel teneatur: vel ſi probari contendantur, dolus in poſsidendo, nullus titulus, mala fides poſsidentis.l. 1. C. de alien. iudic. mut. cau. fact. Quę pro
15 bationes † poſſeſſoriæ, quia multum difficultatis habent, tutiùs & commodiùs erit, vt interdicto aliquo poſſeſ-

ſionem nanciſcaris, vel ex immiſione prætoris poſsideas, & aduerſarium ad onera petitoris compellas, quàm alio poſsidente ipſe petas. l. is qui deſtinauit. ff. de rei vendicat. At † verò in 16
probationibus præcipuam cumprimis partem poſitiones obtinent, vt per quas actor ab onere probandi quoad confeſſa releuatur, faciliùs eſt enim intentionem ſuam, ex aduerſarii confeſsione elicere, quàm ad teſtium examinationes proſilire: dum itaque probationes, ſiue actor, ſiue reus inſtaurare geſtiunt, poſitiones ſuas præmittunt. E. g. Si ex empto dominus ſis, ſic ad probationem ſuffulciendam poſitiones conficies, niſi fòrtaſſe in libello articulato, ſeu propoſitione thematis cauſæ diſpoſita vſus, eas expreſsiſti, nihilominus ad probationes inducendas, repetere ipſas potes ſic & debes.

17 *Pono † & probare intendo agrum Seianum, in tali confinio ſitum, à Sempronio legittimè & pro ſuo poſſeſſum, mihique per eundem venditum, ducentorum florenorum Polonicorum pretio, quod quidem pretium à me receptum, & agrum traditum, dominium eius vel quaſi in me tranſlatum. Item, Titium agrum illum iniuſtè occupare & poſſidere, Item de hiſce omnibus publicam eſſe vocem &*
18 *famam.* Actiones autem † quæ ex cõtractu naſcuntur, quamuis rei perſequendæ gratia inſtitui videntur, in perſonam tamen torquentur, vtſi mutuam pecuniam ab aliquo petam tali poſitione. *Pono probareque contendo Titium centum florenos nomine mutui apud me recepiſſe, eandemque pecuniam pro feſto Paſchatis huius anni preſentis perſolutum ire promiſiſſe, adeoq; tempus ſolutioni deſtinatum iamdudum elapſum eſſe, eoque nomine multotiens à me commoni-*

monitum fuisse, & in his omnibus publicam esse vocem & famam. Sed de his positionibus, potiùs ex communi praxi & consuetudine receptũ est, quòd quandoque simul in propositionibus & responsionibus poni soleant, ante autem probationes inducendas refricari. Eum † porrò effectum positi- 19
ones sortiuntur, vt si vtrauis partium positionibus ijs respondere abnuerit, & id facere absque legittima & probabili causa detrectauerit, iam pro confesso habeatur. & ex his non secus atq; si probatæ fuerint, condemnandus quis veniet. c. præsentium. de testibus, & cap. fin. de cõfess. in 6. Sed ad probationes deinceps redeamus, quarum duo genera in iure recensentur. Aliæ † sunt plenæ probationes, 20
quæ tantam fidem faciunt, quanta ad finiendam controuersiam est necessaria, & quanta sufficit. quales sunt

confeſsio, teſtium productio, inſtrumentorum ſeu munimentorum editio, facti euidentia, iuramenti præſtatio, præſumptio legittima.
21 † Aliæ ſemiplenæ, per quas rerum geſtarum fides fit iudici, ſed non tanta, quanta requiritur, & proinde ad ſupplementum talis probationis alicuius, decernitur iuramentum. Vt ſunt. vnus teſtis probatæ vitæ, Fama, quæ probata eſt vnius teſtis de veritate deponentis teſtimonio. Sculptura in imaginibus, vel lapidibus facta, quæ aliis adminiculis iuncta probat. Literarum comparatio, quæ ſine teſtibus non adeò plenè probat, atramentum enim, calamus, ætas, valetudo, ſcripturam ſolent immutare. Priuata ſcriptura, corporis inſpectio, cui tamen ſine iuramento non creditur, hinc obſtetricum oculus & manus virginitatē aſſerit, at habitus corporis pubertatem

ostendit. Quare † diligenter videat 22
actor, quomodo suam intentionem
ex locis præcitatis probet, alioquin
ipso non probante, reus etsi nihil pręstiterit, absoluitur, & in expẽsis actor
condemnatur. l. qui accusare. C. de
edendo. Prout etiam in Curia Regali, inter Annam Ziołowná & Ciues
Sendomirień. decretum profertur
Anno 1591. Iuris † autem Saxonici 23
dispositio tenet, quòd actore etiam
nihil probãte, reo super veritate causæ deferri censeatur iuramentum. SS.
lib. 1. ar. 6. Et hîc distingue hanc negatiuam non probante: vel ex defectu probationum actor nihil probauerit, videlicet si nullis prorsus probationibus suam assertionẽ liquidauerit, iudex simpliciter reum absoluere tenetur. SS. lib. 3. ar. 4. Sin ex
inopia, probationibus videlicet quibusdam suppetentibus, sed ambigu-

is, vel parum idoneis, extunc iudex, ab aliqua partium, iuramentum tanquam in dubia cauſa exigere poteſt. l. admonēdi. ff. de iureiurādo. Quam diſtinctionem Praxis Curię tenaciter
24 ſeruat. Demum † decerni etiam poteſt iuramentum reo, ſi actor ſe trahat ad iuſiurandum, non enim conuento taliter iniuria irrogabitur, dum ſi ipſe detrectet, actori deferre iuramentum poſsit. l. ait prætor. ff. de iureiur. & SS. lib. 1. ar. 6.

TITVLVS V.
De Teſtibus.

Summæ.

1. *Probatio per teſtes, ante litem conteſtatam regulariter fieri non debet, ibidem dantur caſus quando hoc limitetur.*
2. *Inducturus teſtes quid faciet.*
3. *Forma iuramenti teſtium.*
4. *Inducens teſtes, articulos producat.*
5. *Pars contra quam teſtes inducuntur, interrogatoria iudici porrigat.*

6. *Puncta*

6. *Puncta interrogationum recensentur,*

7. *In causa ex empto quomodo interrogari debent testes.*

8. *Testes depositurí iurent.*

9. *Testes sumptibus inducentis sustententur*

10. *Testes ab iudice securitatem habento.*

11. *Testes detrectantes pœnis adigantur ad testificandum.*

12. *Iudex ad deponendum testes non compellens, tenetur pro damno & expensis.*

13. *Testis asserens se nihil scire in causa, eam assertionem iuret.*

14. *Multitudo testium per iudicem arcenda, nisi sit causa Reipub.*

15. *Vnus testis nullus testis.*

16. *Casus enumerantur, in quibus testis vnus fidem accipit.*

17. *In causis criminalibus vnus testis cum publica fama non probat.*

18. *Ius Saxonicum & Curia, septem testes requirit in causis criminalibus, & proprietatum*

19. *In ciuilibus duo testes sufficiunt.*

20. *Limitatur hoc in quibusdam.*

21. *Testes peregrè existentes à iudice suo examinati probant.*

22. *Testis expressis verbis testificetur.*

23. *Testes depositionem suam corrigere pos-*

sunt &

ſunt & quomodo connotentur ipſorum dicta.

24. *Non omnibus teſtibus paſſim æquè fides habenda eſt.*

25. *Teſti diuiti potiùs quàm pauperi creditur cæteris paribus.*

26. *Cuiuis in ſua arte credendum.*

27. *Teſtis ſibi contrarius repellitur.*

28. *Teſtis ſingularis nihil probat.*

29. *Teſtes partium diſcordes per iudicem concordandi.*

30. *Mulieres quando ſuperari poſsunt teſtimonio.*

31. *Teſtes ſunt duplices, & alij omni exceptione maiores.*

32. *Alij omni exceptione minores, & metris binis deſcribuntur tales.*

33. *Teſtes etiam reprobati admittuntur in clandeſtinis actibus.*

PROBATIO quæ fit per teſtes, vt inter alias probationum ſpecies eſt eminentiſsima, ita in iure eſt mediũ efficaciſsimum, ad partis aduerſæ intentionem infirmandam, vel ſuam
1 corroborandam. † Taliſque proba-

tio per

tio per teſtes ex parte actoris ante litem conteſtatam non admittitur, niſi quando aut timetur de morte teſtis, vel diuturna eius abſentia, vel ſi procinctus eſſet ad bellum, vel in cauſa matrimoniali diu abfuturus eſſet, vel quando cauſa, idq́; in criminalibus, per præcedentem informationẽ diſquiritur. vel ſi teſtimonia neceſſaria ad diutinam vel perpetuam memoriam conquirantur, vel in contumaciam partis aduerſæ teſtes, lite non conteſtata, inducuntur. per Auth. de teſtibus § hoc verò Coll. 7. Item, ante litis conteſtationem inducuntur teſtes, dum aliquod acceſſorium ante litem conteſtatam opponitur, ibidẽq́ue in exceptionibus dilatoriis, declinatoriis, peremptoriiſuè obiiciendis, & ſimul probandis. vt Speculat. de his fuſiùs. Volens † itaque quis 2
producere teſtes, petat per iudicem

ſibi decerni citationem, tam contra teſtes producendos, quàm cõtra partem aduerſus quam produci debent; & competentem terminum, ſeu dilationem ad eos inducendos præfigi. Quæ ſibi iudex aſsignabit, citatione & termino ſententiatis. ac pro termino tandem aſsignato, in pręſentia partis aduerſæ, coram iudicio eodem deducet & declarabit, quod citati teſtes ad deponendum in ea cauſâ occaſione, &c. contra hunc N.N. comparuerunt, quæretq́; ex iudicio, num teſtes citati comparentes, rotæ iudiciali immitti debeãt. Decerneturque quod ex quo teſtes ſunt citati, pro termino que ſtiterunt, extunc rotæ iudiciali immitti debent, rurſum ad quæſitum actoris, an exaudiri debeant, iudex decernet, quòd ſic, & præſtito ad ſacra iuramento, de veritate pro vtraque parte dicenda examinabun-

tur. SS. lib: 3. ar. 19. Et † huiuſcemo- 3
di conceptis verbis iurare debent.
Ego N. iuro, dicere totam veritatem in cauſa, quę vertitur inter A *&* B. *pro vtraque parte mihi cognitam: & hanc veritatem non cęlabo, propter amicitiam, odium, munera, ſic me Deus adiuuet & omnes Sancti.* † Producens verò te- 4
ſtes, debet intentionem ſuam, ex propoſitione ſeu libello, elicitam, per articulos verbis affirmatiuis ſpecificare, iudiciq; ſcripto tenus offerre, iuxta quos iudex teſtes examinabit. Ex
aduerſo † pars, contra quam teſtes in- 5
ducuntur, interrogatoria ſeu quæſtiones ſecretè det iudici, ſuper negocij controuerſi circumſtantiis, vt de iis teſtes inquirantur. SS. lib. 2. art. 22. quæ interrogatoria poterit talia formare
† *Quęſtionem inculcans ętatis,* 6
ſtatus, famę, conditionis, fortunę, Item ſi datum illi ſit aliquid, aut promiſſum,

si odio, vel gratia sit inductus, vt testificetur, si aliqua necessitudine producenti sit coniunctus, familiaris, aut domesticus, instructusne veniat, aut cum reliquis suis collegis consilium pro depositione formanda communicauit, & demum vtrum cupiat, actoremne an reum victoria potiri, an aliquando cum eo, contra quem producitur, rixatus fuerit, habeatne interesse aliquod ad causam, an citatus rogatusue deponat. quæ omnia generalium interrogatoriorum nomine veniunt, adeò vt etiamsi nullæ interrogationes per reum sunt propositæ, iudex ipse, vel examinationi destinatus, pro solerti prudentia sua testes sigillatim interrogare debet, & in acta referri mandare. Post generalia ad speciales descendet, & singula capita, super quibus fit examinatio,
7 probè expiscabitur. *Vt † in probando emptionis ac venditionis contractu, si*

articu-

articulum aliquem verum dixerit testis, querendus est vnde id sciat, an contractui interfuit, quibus presentibus, quo in loco contractus fuit celebratus, pro quanto precio, quali moneta solutio facta, & id genus alia, que conuentionibus illis vsuuenire solent. Ex quibus facilè exceptiones formabuntur aduersùm depositiones testium, facilè enim talibus indagationibus, in teste vacillantem variationem venari poterimus, & quæ vera manifestare, quę falsa detegere. c. cum causam De testibus. Semper † autem testes depo- 8
situri iurare debent. l. iusiurand. C. de testibus. Deinde † quòd debent 9
sumptibus & expensis producentis testes in iudicium testificandi causâ proficiscentes sustentari. l. quoniam liberi. C. eodem. † Debent etiam ab 10
iudice habere securitatē. arg. c. hortamur. 3. q. 9. † Et à iudice citentur, 11

detrectantes etiam, pœnis ad testificandum adigantur: alioquin si non citati seipsos ad deponendum offerrent, tanquam suspecti reiiciuntur. l. quæ omnia. § sed etsi aduersar. ff.
12 de procurat. Quodsi † iudex testes ad deponendum compellere nollet, tenetur pro damno & expensis, etsi
13 testis † coram bedello vel præcone citante excusaret se nihil in causa ea scire, tamen comparere debet, saltemque hanc ignorantiam affirmet sub suo iuraméto. l. 3. § exhibere. In-
14 super † Iudex non debet pati effrenatam testium multitudinem produci. l. 1. § quanquam. ff. de testibus. Multitudo autem seu turba testium induci in iudicium non debet, in causis ob controuersias priuatarum personarum, aut in rebus particularibus, sed vbi agitur de aliqua Repub. de articulis, qui sunt de iure publico, de

inolita

inolita & diu poſſeſſa conſuetudine,
de priuilegiis diu vſurpatis, & id ge-
nus aliis: & in tali caſu, ex tanta tur-
ba producens, ſeliget quos volet, ſu-
pra decem ad ſexaginta vſque, nam
infra denarium numerum, multitudo
ſeu turba non cenſetur in teſtibus.
Sicut † autem execranda multitudo 15
teſtium, in priuatis cauſis deteſtanda,
ita ex diametro vnitas teſtis, nullitas
eſt, nam vnus teſtis, nullus teſtis,
hinc nulla cauſa vnius teſtimonio
probari terminariué poteſt, quia vox
vnius, vox nullius. c. admonere 33.
q. 2. & l. iuſiurand. C. de teſtib. Hoc
tamen † fallit in multis caſibus: Nam
bedello ſeu præconi ſoli vni, de cita-
tione exportata, & denunciata refe-
renti, creditur. l. magis § illud. ff. de
rebus eorũ qui ſub tutel. vel curatel.
ſunt. Item, Notario in acta ſua aut
regiſtra conferenti fides habetur.

Aliâs vnus teſtis efficit ſemiplenam probationem. l. Theopompus ff. de dot. præleg. Item vnius teſtis depoſitioni ſtatur, dum in ſupplemẽtum, iureurando principalis perſona eam confirmet. l. in bonæ fidei. C. de rebus credit. Vni etiam teſti creditur, quando cum ipſius teſtimonio publica vox & fama conſonat, idque in ciuilibus, ſecus in criminalibus. Panorm. in c. tam literis. Ext. de teſtib. Vni quoque ſoli ſpoliato creditur, ſi iurauerit ſe rem per alterius violentiam perdidiſſe, dum tamen prius eam violentam probet. l. quando C. vnde
17 vi. In † cauſis criminalibus non ſufficit vnius teſtis probatio cum publica fama, vbi debent eſſe probationes manifeſtiſsimæ, & luce meridiana clariores. l. vltima. C. de probation. Ius
18 proinde † Saxonicum, tum & praxis Curiæ in cauſis criminalibus, tum &

in cau-

in cauſa proprietatum, ſeptem teſtes
requirit ad plenam probationem fa-
ciendam. SS. lib. 1. ar. 8. & ar. 66. In
cauſis † verò Ciuilibus praxis cõmu- 19
nis cum Ciuili & Canonico iure ſen-
tit, duos videlicet teſtes ſufficere ad
plenè probandum. c in omni nego-
cio. De teſtibus. & vt ſacra pagina
docet: In ore duorum vel trium, ſtet
omne teſtimonium. Deut. c. 19. Ius
item ciuile: nam de iure ciuili duo te-
ſtes ad plenam probationem confici-
endam ſufficiunt. l. vbi numerus. ff.
de teſtibus. Niſi † dum in teſtamen- 20
tis condendis, codicillis, donationi-
bus cauſâ mortis, &c. plures teſtes,
vel certus illorum numerus deſidera-
tur. † Teſtes item in remotis regio- 21
nibus exiſtentes per iudicem ſuum
examinati probant. vt in Auth. de te-
ſtibus § & quoniam ſancimus, Coll. 7.
Teſtes † debent claris verbis depo- 22

nere, ſuæ depoſitionis cauſas exprimere, quamuis de viſis non eſt opus cauſam reddere: ſed nec poteſt ita teſtari, ego ſcio ex fama communi, vel vt omnis mundus, debet enim certas perſonas famam ſpargentes nominatim exprimere, debetq́ue dicere: Sic ego in illo & illo loco vidi, ſic ab hac vel iſta perſona audiui.
23 Teſtes † ſi in aliquo errârint, poſſunt ſua depoſita corrigere: ſed ad hanc ipſorum emendationem, non iam iudex, vel graphiarius, illorum ante dicta corriget, ſed, prout prius prolata fuerunt, ſinet, roformata item poſteriùs apponet. Debetq́ue teſtium depoſitiones ſingulas ſeparatim connotare, neque debet ſic ſcribere, Albertus Faber ſic depoſuit, &c. Bartholdus Sutor ſimiliter. Caius Frænifex eadem quæ Bartholdus & Albertus depoſuit: nam viciosa ea eſſet infor-

matio. Et † verò neque omnibus te- 24
stibus æqualis fides est habenda: nam
maior est fides duorum testium affir-
mantium, quàm decem, centum, vel
mille negantium. Hinc illud diale-
cticum: testis negatiuus nihil probat.
Testi † diuiti quàm pauperi potiùs
creditur, cæteris paribus, videlicet si 25
pauper etiam sit bonæ famæ, rectior
fides illi habeatur, quàm diuiti insul-
so. Deinde † cuiuis in sua arte cre- 26
dendum, vt medico in suis medica-
mentis, obstetrici in sua inspectione,
iuristæ in suo iure, ferendario in sua
praxi, idque sub præstito iureiuran-
do. l. proposuisti. C. de probat. Te-
stis † autem in vno articulo mentitus, 27
censetur in reliquis mentiri. item, te-
stis contraria sibi referens, vel si di-
ceret verum in vno, falsum in alio, e-
ius testimonium repellitur. l. vbi pu-
gnantia. ff. de regulis iuris. † Sic nec 28

vni ſingulari teſti in ſua depoſitione credēdum eſt: nam ſi duo ſint teſtes, quorum alter alteri contradicat, neutrius teſtimonio ſtandum eſt, quia ſunt ſingulares in ſuis depoſitionibus. Quodſi vnius depoſitio pugnet cum reliquorum teſtificatione, tunc hic vnus tanquam friuolus, à robuſto aliorum teſtimonio, reiicitur, per illud: vox vnius, vox nullius. Iam verò
29 † ſi partis vnius producentis teſtes concordent, & motus iudicis accedat, hi probant. Quod ſi diſcordent in pari numero, creditur præſtantioribus, neque tàm ad numerum teſtium iudex animum conuertat, quàm ad fidorum hominum deponentium ſynceritatem. c. veniens Extra. de teſtibus. ſic teſtes diſcordantes iudex quoquo modo concordet, idq; præſtare non valens, ex proprio motu, & animi ſui iudicio obſeruabit, quibus

potior fides eſt habenda, in quo etiam poteſt cõſulere ſpeculatorẽ tit. eo dẽ de teſtibus. Mulieres † eo inpaſſu 30
magna à iure prærogatiua gaudent, quòd teſtibus ſuperari nec conuinci poſsint. SS. lib. 1. ar. 46. ſed hoc ita intelligendũ, ſi videlicet abſque tutore aliquid, ſeu iudicialiter, ſeu extraiudicialiter recognouerint, ita iudiciaria poteſtas in teſtimonio eas non poterit ſuperare, quia promittere nõ poſſunt, nec ex ſua reſponſiua aliquid pati, quandoquidẽ iura ſcire non tenentur. l. ne paſsim. C. de iur. & fact. ignor. Mulier tamen in crimine deprehenſa, teſtimonio cõuinci poteſt. Iur. Munic. ar. 91. & ar. 22. † Ad ex- 31
tremum ſciendum eſt, duplices eſſe teſtes: alij enim dicuntur omni exceptione maiores, id eſt, contra quorũ fidem & teſtificationem excipi non poteſt, ſuntque apti ad deponendum

indubitatæq́; fidei, ſecundùm Iazonem, in l. admonendi, ff. de iureiur.
32 Alij † vocantur omni exceptione minores, qui non ſunt habiles ad teſtificandum, & talium aut perſonæ à deponendo arcentur, aut depoſitiones eorum ope exceptionis alicuius, cui ſunt obnoxij ipſi, & dicta quæuis per conſequens irritantur. l. 2. ff. de Senat. Quorum inhabilitatis puncta, his verſibus connotantur.

Ætas, conditio, ſexus, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires

Ætas, minor enim 14. annis in ciuilibus teſtificari nequit, in criminalibus 20. annis. Cōditio, ſi ſit ſeruus. Sexus, ſi ſit mulier. Diſcretio, quia fatuus, aut furioſus ſine lucidis interuallis, fræneticus, non poſſunt deponere. Fama, nam infames, iure priuati, capiteque diminuti vtpotè media & maxima diminutione, hi enim om-

nes ab

nes ab actibus legittimis de iure arcentur, nec locum ſtandi in iudicio habent, ergo nec teſtimonium perhibendi. l. teſtium fides. ff. de teſtibus. Fortuna, nam vilis pauper, puta qui eſt luſor, meretricator, potator, & cui bonis eſt interdictum, prodigus, quia talis vno quoq; teruntio ad falſô teſtificandum corrumpi poteſt. l. 3. & 4. ff. de teſtibus. Fides, quia infideles, pagani, Iudæi, Hęretici, nō poſſunt eſſe teſtes contra Chriſtianos. c. Iudæi. De teſtibus. Etſi contingat Iudæum cōtra Chriſtianum teſtificari, extunc cum duobus Chriſtianis id facere debet: Chriſtianus verò contra Iudæum teſtificari poteſt, cum vno Iudæo, & vno Chriſtiano. SS. lib: 3. ar. 2. gl. Enimuerò † & reprobati, 33
ſeu omni exceptione minores teſtes admittuntur, in actibus ſecretis & clandeſtinis, vbi aliorum teſtium ha-

beri copia nequibat, vt Bald. in l. quoniam C. de teſtibus.

TITVLVS VI.

De Confeſsione & literarijs probationibus.

Summæ.

1. *Confeſſio quid in iure dicatur?*
2. *Confeſſiones aliæ iudiciales.*
3. *Aliæ extraiudiciales.*
4. *Aliæ præſente parte, aliæ abſente, cum cauſa, & ſine cauſa.*
5. *Confeſſionis iudicialis effectus.*
6. Confeſſio *Extra iudicialis quid efficit.*
7. *Præſente vel abſente parte cõducit ad vlterius probandum.*
8. *Cum cauſa quæ dicatur.*
9. *Sine cauſa an præiudicet.*
10. *Languentis in articulo mortis facta, num valida.*
11. *Erronea nulli præiudicat.*
12. *Error duplex iuris & facti.*
13. *Confeſſionis puncta præiudicantia metro proferuntur.*

14. *Corã iudice nõ suo, nõ valet.*
15. *In praeiudicium sui superioris, non valet.*
16. *Confessio* — *A demente nihili est.*
17. *facta* — *Per procuratorem, an praeiudicet.*
18. *A ferendario, cliente consulto, praeiudicat.*
19. *Per tutores, vel curatores, absq; pupillis, nõ praeiudicat*
20. *A pupillo, non potest praeiudicare.*
21. *Per puberem minorem, qualem obligationem pariat.*

22. *Exemplum confessionis eliciendae à debitore inficias eunte.*

23. *Inuentum pragmaticum, testes occultatos, confessione debitoris informandi.*

24. *Testi per cortinam audienti quando creditur.*

25. *Instrumenta quid sint, & quae dicantur.*

26. *Publicae literae quae nuncupentur.*

27. *Chartae papyraceae, negociationum conscriptas rationes authenticè claudẽtes, an valeãt.*

28. *Instrumentum priuatum quid sit.*

29. *Publicae scripturae sine adminiculo fidem faciunt.*

NVLLA probatio in iure est efficacior, quàm citati de re pro qua impetitur, facta beneuola confeſsio, taliſque
1 † confeſsio dicitur quaſi probationis releuatio, nam dum confeſſus pro conuicto habeatur, ideo vbi adeſt Rei confeſsio, ibi nulla incumbit actori probatio, l. poſt rem. ff. de re iudicata. Multiplices autem huiuſmodi confeſsionis ſpecies in iure
2 comperiuntur † aliæ iudiciales, quæ

coram

coram iudice fiunt, plenissimæque probationes, tales cõfessiones dicuntur: † Aliæ extraiudiciales, quando 3
nimirum reus extra iudicium aliquid fatetur se fecisse. Rursum † aliæ sunt 4
in præsentia partis, aliæ in partis & partiũ absentia fiunt, item fiunt aliæ cum causa, aliæ sine causa. † Iudicia- 5
lis confessio id efficit, vt iam amplius nullæ desiderentur ab actore probationes, neque vllæ aliæ partes iudicis restant; quàm vt confitentem condemnet. l. proinde. ff. ad l. Aquilam. 6
Confessio † extraiudicialis, etiam omnes probationes tollit, si aut per dignos testes, aut iuramentum verificari poterit. Item † præsente vel ab- 7
sente parte, facta confessio conducit ad vlteriores probationes faciendas, si per testes, vel iuramentum itidem probetur. † Confessio cum causa il- 8
la est, dum reus confitetur causam li-
 tis, sci-

tis, ſcilicet ex qua cauſa ſit debitum, pro quo conuenitur, exortum, vel ex mutuo, vel ex mercibus, permutatione, conducto, pacto, aut quopiam alio contractu. & ſi de hac confeſsione conſtet, vbivbi ſit facta, confitenti præiudicat, quare & talis confeſsio cum cauſâ recognita coram arbitris, apud iudicem ordinarium præiudicat, valetque in iudicio ordinario. l. penult. in fine. C. de recept. arbitr.

9 Verùm † cōfeſsio facta ſine cauſa, tam iudicialiter, quàm extra, abſente itē parte, non ſemper nec ſtatim præiudicare ſolet confitenti. Dum verò ego tam in iudicio, quàm extra iudicium ad aliquem quietandum, & eliberandum, etiam ſine cauſa, abſente quoque parte, confeſsionem recognoſco, modò id fiat legittimè, præiudicat mihi taliſmodi confeſsio. l. vnica. C. de confeſ. Item † decumbit

10

quis in lecto, graui morbo laborans, vel iam in articulo mortis cõstitutus, vltimaque & suprema sua voluntate, aliquid per confessatum testetur, siue ad sese obligãdum, siue aliquem quietãdum, talis confessio nisi ante mortem reuocetur, præiudicat, nam ea confessio, ab omni dolo & affectu humano, aliena esse præsumitur. arg. l. contraxerunt. ff. de verb. sign. l. se-
nium. C. de testam. † Confessio au- 11
tem erronea, hoc est, facta per errorem nulli præiudicare potest. l. non fatetur. ff. de confes. Nam talis confessio reuocari poterit, & hoc fit, dum pars errans, singulos actus erroris probare posit. l. error. ff. de confes. Et ideo hęc probatio erroris admittitur, quia nihil magis pugnat cum scientia & confessione, quàm error, is enim qui errat, vtique non fatetur. l. ei qui
ff. de probat. Sciendumque † est hîc 12

errorem intelligi facti,non iuris, nam prætextu erroris iuris, non reuocatur confeſsio propria. l. error. ff. eodem. Nemo ſiquidẽ ius ſuum ignorare debet, niſi ſit miles, fæmina, ruſticus,
13 monachus. l. 2. ff. de confeſ. † hinc illi verſus à I C. recenſentur, quibus perſonæ continentur, quêis confeſſio propria præiudicet.

Maior, ſponte, ſciens, contra ſe, vbi ius ſit, & hoſtis,
Certum, liſq; fauor, ius, nec natura repugnet.

14 Porrò † confeſsio facta coram incompetenti,id eſt,non ſuo iudice,non nocet. c. at ſi.Ext. de iudiciis. Item confeſsio dubia & incerta, nullitatis de-
15 bet vicio ſubiacere. † Item confeſsio facta in præiudicium ſui domini aut ſuperioris non valet. c. cum tempo-
16 re. Ext. De arbitris. † Neque valet confeſsio facta à demente, furioſo,

lunatico

lunatico, l. in negociis. ff. de reg. iur. At facta † confeſsio per procurato- 17
rem, præiudicat, niſi ante ſententiam reuocet eandem, idq́; errore vel damno prius probato. c. cum olim. Ext. de offic. deleg. Item † confeſsio fa- 18
cta per ferendarium, præſente vel abſente ſuo clientulo, ſciente tamen ac permittente, idem eſt, ac ſi ipſe cliens fateatur. l. 1. C. de error aduoc. Item tutorum † vel curatorum, abſentibus 19
pupillis vel minoribus, facta confeſſio, non præiudicat. l. certum § ſi quis abſente. ff. de cōf. † Neq; valet a pupil 20
lo facta confeſsio, quia pupillus ipſo iure ab omni præiudicio tutus eſt. c. paruuli. 22. q. 5. Verùm † pubes mi- 21
nor 25. annis, bene obligatur ex confeſsione: reſtitui tamen poteſt, ſi læſus fuerit. l. certū. § vltimo. ff. de confeſ. Huc † pro corollario duo perne- 22
ceſſaria, ad quotidianam praxim e-

xempla cõfeſsionum extraiudicialiũ referam, quæ D. Ianidlouius I. V. D. præceptor meus, in ſuo proceſſu poſuit. *Romę* (vt ait) *accidit, cùm quidam mutuo dediſſet alteri certam pecuniam, nec per ſcripturam & teſtes conſtabat de mutuo, illudque recognoſcere noluit in iudicio debitor. Creditor vſus conſilio peritorum, accepit duos teſtes ſecum rogatos, petens vt intereſſent collocutioni partis, ſuper debito contracto, & vt diligenter auſcultarent ea omnia, quę idem creditor cum debitore ſuo conferret. Cum quibus accedens debitorem, in domo eius fecit mentionem de debito. Debitor verò mox rogare cępit, vti tempus ad ſolutionem prolongaret: quod debitum dum idem poſtea iudicialiter exigeret, debitore negante, creditor ſuper confeſsione eius, teſtes dictos induxit, & in cauſa obtinuit.*
23 Alterum † pragmaticum exemplum, ſuppoſito tali caſu. *Debi-*

tor ne

tor negat tibi debitum, nec confiteri vult illud coram iudice aut testibus, creditor vti potest ea arte: occultare testes in angulo alicuius partis domus, vbi colloquium cum debitore ratione debiti conferendum esset, & circa eundem locum, vt exaudiant testes, debitorem alloqui pro debito. Debitor enim ignarus testium sic agnoscet, ad solutionemque debiti etiam negati, sed illis testibus probati, prestandam iure mediante stringetur.

Et id remedij datur contra fallaces debitores, qui talibus testibus conuinci possunt. † Testi enim per cortinā 24
vel in angulo occultato audiēti, quoties deponit creditor, præsertim in contractibus inter viuos, prout Bart. in l. si non speciali. C. de testamētis. & l. 2. § idem ff. de Aqu. plu. art.

Sequitur † aliud genus probationis, 25
per instrumenta, literas, munimenta, authenticaque rescripta priuilegio-

rum & immunitatum quarumpiam, extracta ex actis, proceſſus ſcriptotenus editos, & ſchedas multiplices, tàm publicas, quàm priuatas, ad intentionem actoris vel Rei, in iudicio probandam. Et hæc fermè omnia apud iuriſperitos inſtrumenta dicuntur, quaſi inſtruentia mentem iudicis, vel etiam vocantur documēta, quod in cauſa alicuius rei notionem adferentes doceant. tum & munimenta nuncupantur, quod muniant producentem contra aduerſarium. appellantur etiam probatio vocis mortuæ, & tales probationes aliis item nominibus vſurpantur in iure: & aliæ principaliores, veluti originale, authenticum, exemplar: & inde promanantes ſpeciales ſcilicet, index, exemplum, ſumptum, atque etiam memoria, vt in Auth. ſi quis in aliquo. C. de
26 edendo. Et † publicæ literæ ſunt, ſeu

instrumenta vulgò publica, illæ omnes scripturæ, quæ aut conscriptæ, aut saltem subsignatæ sunt per publicum tabellionem, notarium, graphiarium, vel iudicem, & per similes personas publicas: vel quod sigillo publico authentico consigillatum est, vel quod ex mandato & authoritate iudicis est exemplatum, vel quod in iudicio scriptum est ad acta publica. Vel quod habet subscriptionem trium, vel secundùm canones duorũ testium videntium seu oculatorum: aut sunt registra, protocolla, vel acta iudicialia, quæ vtrisq; partibus sunt communia. ea si facta sunt per illos, qui habent authoritatem faciendi authenticam scripturam, faciunt plenam fidem, nam alioquin nullatenus illis fides haberi solet, iuxta Bald. in auth. si quis in aliquo. C. de edẽdo. Vel quæ de archiuo publico producuntur, quales

ſunt libri priuilegiati rationum, chyrographa, & aliæ ſcripturæ, vt in authent. adhæc. C. de fide inſtrum. Sciendum porrò eſt, quòd omnis ſcriptura dicitur publica, cui de publica & ſpeciali conſuetudine, ceu de iure creditur. c. cum dilectus. Ext. de fide
27 inſtrument. Sed † quæres an chartæ papyraceę, in quibus negociationes, aut contractus, aut locationes, &c. à tabellionibus, notariis, & ſimilibus deſcribuntur, publicorum quoq; inſtrumentorum vim obtineãt? R. cum gl. in l. notationem, § inſtrumentorum. ff. de verb. ſignif. quæ dicit tales chartas, in quibus contractuum aliqui nexus ſunt deſcripti & confecti à tabellonibus, notariis, &c. aliiſque publicis perſonis, publicorum inſtrumentorum nomen & vim mereri. in iure Saxonico, tabellionum quidem vſus, neutiquam habetur, vt infra di-

xi. ſed tales connotationes, vel in-
tercifis vt vulgò vocant, vel aliis epi-
graphis, hominum fide dignorum in
præſentia collatis, inuicem probari
poſſunt, & tales ſcripturæ potiùs pri-
uatæ vocitari poſſunt, quamuis publi-
cæ ſcripturæ inſtar, probatio per ta-
liſmodi ſcripturas in iudicio accepta-
tur. In Pruſsia tamen & Liuonia, ta-
bellionum fides habetur illibata, &
vſus quotidianus. de fide publicorũ
inſtrumentorum pleraq; lege SS. l. 2.
art. 42. gl. Inſtrumentum † priuatum 28
eſt, quod per priuatam manum con-
fectum eſt, vt chyrographũ, & codex
rationum mearum vel tuarum, vel a-
lia quæuis ſcriptura, quam aliquis pro
pria manu conſcripſit, ſuoque ſigillo,
vel aliquo manuali conſueto ſubſi-
gnauit. † Publicæ ſcripturæ, & au- 29
thentica inſtrumenta fidem faciunt,
ſine aliquo adminiculo, id eſt, niſi

in illis

in illis aliquid falſum appareat, quare litteræ in iudicio productæ, diſpiciendæ ſunt, num aliquo vicio, vel raſura, vel innouatione literæ in nociuo loco ſcateant, eo enim caſu ſuſpicionem inducerent, & reiicerentur. SS. lib. quo ſupra: & l. ſyn-
30 ceris. C. eodē. † Quando verò ſcriptura priuata exhibetur, contra illum qui eam fecit, nec ipſe eandem negat à ſe factam, ei ſtatur: ſi verò neget eſſe ſuam, de iure Saxonico metter-tius iurabit, quod ſua non ſit, nec ſigillum ſuum, nec aliquando fuit. & ſic euadet. SS. lib 1. ar. 15. gl. De iu-
31 ris † verò Canonici & Ciuilis diſpoſitione, talis negans conuincitur per teſtes, vel per comparationem literarum. l. inſtrument. C. de probat. Et ſi apparet probeturque à negante illam ſcripturam eſſe confectam, condemnatur negans in duplum cauſæ

contro-

controuersiæ, vt in Authent. contra qui propriam. C. de non numera. pecun. Sed † requiriturné in scripturis 32
priuatis, vt in iis notentur dies & locus, quando, & vbi scriptæ sint? R. Quod quatenus substantia contractus concernitur, eatenus non requiritur dies, aut locus. l. Publia. ff. de po. Enimuerò † ad temporis priori- 33
tatem vel posterioritatẽ probandam omnino requiritur diei expresƒsio, quia sine ea expresƒsione, certitudo temporis haberi & constare non poterit, vt Ang. in § si quis. Auth. de instrumentis. Solent † etiam aliæ scri- 34
pturæ priuatæ, inter contrahentes confici, quales sunt intercisæ seu chyrographa reciproca, & fit, cùm duo paciscentes de aliqua re, sub eadem forma verborum, in vna charta duas scriptiones conficiunt, easdemq; per medium intercidunt, alteruterq; al-

teram

35 teram accipit. Et † quia nihil eſt tam naturale, quàm eo modo diſſolui, quo colligatum eſt. l. nihil. ff. de reg. iuris. ideo in mutuis probationibus, ſcripturæ ſcripturis eliduntur, interdum etiam publicæ priuatis ſcripturis reſoluuntur, vt ſunt: Apochæ & Antapo-
36 chæ. Apocha † dicitur ſyngrapha creditoris debitori conceſſa, in qua creditor cõfitetur ſibi pro debito ſatisfactum. & tali formula plerunque conſueuit ſcribi. *Ego P Q. confiteor præſentibus me recepiſſe Varſauię mutui debiti aureos Ungaricos ducentos, boni valoris, & iuſti ponderis, in & coram actis Aduocatialib. Lublinen. adſoluendum mihi pro feſto D. Staniſlai in Maio, anno* 1613. *inſcripti, promiſſi & obligati, á ſpectabili vel famato R. S. debitore pecunię prętactę, de qua plenaria & integra ſatisfactione* 200. *aureorum Ungaricorum pręcitatorum eundem R S. qui*

eto, libe-

eto, libero, & penitus abſoluo caſſando inſuper irritando & annullando prȩſenti ſyngrapha, manu mea propria, coram teſtibus infraſcriptis, confecta, & ſigillo meo ſolito conſignata, prȩdictam obligationem & inſcriptionem occaſione huiuſmodi debiti, Lublini coram Iudicio Aduocatiali factam. Datum & ſcriptum Varſauię, anno & die quibus ſupra, prȩſentibus N.O.P. *teſtibus.*

Antapocha † eſt Chyrographũ à de- 37
bitore creditori, ante tempus numeratæ vel ſolutæ pecuniæ debitæ factum, in quo fatetur ſe ſoluiſſe tantùm, diciturque ab ante, quia ante apocham datur, ob ſecuritatẽ creditoris, propter varias cauſas, maximè propter penſiones & vſuras pendi promiſſas faciens alterius nomine, iuxta l. plures Apochas. C. eodem. talique forma ſcriptitatur. *Ego R. S. recogonoſco ſerie prȩſentium, me Var-*

sauię soluisse mutuo recepti debiti creditori meo P. Q. 200. aureos Ungaricales, boni valoris, & iusti ponderis, in die S. Stanislai in Maio, Anno D. 1613. iuxta obligationem & inscriptionem Lublini coram iudicio Aduocatiali factam, in cuius rei testimonium & fidem, hanc antapocham manu mea subscripsi, & sigillo proprio communiui. Datum, Anno, die, quêis supra.

TITVLVS VII.
De Probationibus per euidentiam facti, & præsumptionibus.

Summæ.

1. *Euidentia facti quid sit, & quid valeat.*
2. *In notorijs iudex procedit nemine agēte.*
3. *Actiones finium regundorum per inspectionem loci deciduntur.*
4. *Præsumptio quid efficiat, & quæ dicatur.*
5. *Præsumptionis exemplum ex sacra scriptura.*
6. *Præsumptionum species quatuor numerantur.*

7.	Præsumptio		*Temeraria siue leuis, quæ sit.*
8.			*Probabilis seu vniuersalis quæ vocetur.*
9.			*Violenta vnde proficiscatur.*
10.			*Ex cohabitatione cum suspecta.*
11.			*De nudo cum nuda deprehensa.*
12.			*Ignorantia vbi de scientia non constat.*
13.			*Maritum viuere, si de morte non constet.*
14.	Præsumitur	*Aliquis bonus*	*Donec probetur malitia*
15.			*Ex parentibus bonis natus.*
16.		*Aliquis malus*	*Quis semel extitit malus.*
17.			*Qui cum malis conuersatur.*
18.			*Stipulari solutionem, per scripturam absentis.*
19.			*Masculo & fæminâ simul natis*
20.			*prius marem natum.*
21.		*In naufragio.*	*Prius infantem quàm matrem deperijsse.*
			Filiū puberē posterius quàm matrē submersū.
22.		*In acie*	*Prius patrem quam filium occubuisse.*

 23. *Si sint*

23. *Si ſint viribus pares ſimul enectos.*

24. *Mulierem ſine dote conſtituta, bona illata marito hypotecaſſe.*

25. *In partem dotalitij hypotecandi, nomina debitorum, & futura bona, non currere.*

26. *Principium & finem probans, intermedium obtinere.*

27. *Bona per decennium poſſeſſa pro diuiſo haberi, quãdo id procedit*

Præſumitur.

28. *Debitor diuendens bona, ſine neceſſitate in fraudẽ creditorum.*

29. *Prius aggreſſum eſſe qui eſt ſauciatus.*

30. *Loculum depoſitum cum nũmis reſigillans, in dolo eſſe.*

31. *Potiùs recipientem, quàm ſoluentem, ratione indebiti, fidem nanciſci.*

I

32. *Allegantem ſe ſoluiſſe, debitoris nomen accipere.*

33. *Inter conſanguineos, ex calculo reſiduum indultum.*

34. *Vicinus ſcire facta vicini.*

35. *Mulierem eſſe eius vxorem, cui cohabitat.*

36 *Ali-*

36.		*Aliquem dignum esse, donec probetur contrarium.*
37.		*Vxorem prius obijsse, quàm maritum, in ambiguis.*
38.		*Mortuum citò reuiuiscentem non fuisse mortuum.*
39.		*Mortuum denuò resuscitatum legibus ad recuperanda sua, non iuuari.*
40.	*Præsumitur.*	*Vxorem per mortem viri dissolutam, non recuperari.*
41.		*Aliquem esse maiorem, nisi probetur esse minor.*
42.		*Furiosum esse perpetuò, qui fuit furiosus.*
43.		*Partum septimo mense editum esse legittimum.*
44.		*Mulierem ex alio concepisse, post mortem mariti vndecimo mense.*
45.		*Partum non suo tempore progeneratum, esse suspectum.*
46.		*Ex lege de ijs, quæ vt plurimum accidunt, non quæ raro*
47.		*Aliquem esse falsarium, qui semel suspecta scriptura est vsus*
48.		*Bona fides ex titulo putatiuo.*

49. *Quarta ſpecies præſumptionis, vtpote neceſſaria.*

50.	*Aliquem iuramentum detrectantem nec referentem, temere litigantem eſſe.*
51.	*Poſſeſſorem agri ſufficiēter per vnius etiam glebæ attactum apprehendiſse poſſeſſionem.*
52. *Præſumit ius.*	*Eſſe matrimonium in verbis de futuro, ſequente copula.*
53.	*Sponſum conſenſiſse, in conditionale matrimonium ſequente copula.*
54.	*In matrimonium conſenſiſſe, quando cohabitat.*
55	*Proles eſſe viri & mulieris cohabitantium.*

56. *Iudex in præſumptionibus inquirendis ſit cautus,*

57. *Contra præſumptionem etiam neceſſariā, quandoq; ponitur contrarium.*

58. *Præſumptionum triplex diſtinctio adſignatur.*

RELIQVAS probationum ſpecies proſequuturis, de euidentia facti,

&præ-

& præsumptionibus, venit dicendum. In notoriis ordo iuris non seruatur: est † autem notorium, seu euidentia facti, quando quid sensu corporeo coràm percipitur, eaque probatio tanti est vigoris, vt ea verificata, nec ad accusationē læsi, neque ad testium productionem descendatur: namque super notorio † iudex procedere poterit, nemine accusante, intellige in criminalibus, c. ad nostram. Extra. de iureiuran. & l. prima, ff. de vent. inspiciend. Et sicut atrox aut leuis iniuria fit certa & manifesta per iudicis præsentiam & cōspectum, vt alia testium probatione non indigeat: ita etiam per inspectionem personæ, iudici certò potest constare, vt ad eius rei noticiam, ampliori probatione non indigeat. † Huc refer differentias limitum, id est, de finibus regundis, quæ per solam loci inspe-

1

2

3

4 ctionem deciduntur. † Præsumptio
porrò aliquando plenam, aliquando
semiplenam probationem facit. Di-
cimus autem præsumptionem, con-
iecturam in rebus dubiis, ex argumē-
tis per rerum circumstantias frequen
ter euenientibus collectam. Quem-
5 admodum † sacra pagina egregium
exemplum, 3. Reg: 3. de Salomone
profert, qui in dubia causa inter mu-
lieres decidenda, ex parte infantis,
quem, iubens gladium adferri, discin-
dere voluit: deprehēditque veritatē
causæ, ex præsumptione zeli materni,
quæ deprecabatur ne id faceret, vt c.
adferte mihi gladium. Extr. de præ-
6 sumptionibus. Et † quatuor præsum-
ptionis species numerātur: nam præ-
sūptio alia est temeraria, alia proba-
bilis, alia violēta, alia necessaria. † Te-
7 meraria siue leuis est, quæ sumitur ex
vilibus causis, videlicet ex malis & le-

uibus hominibus, vt si quis semel, aut iterum cum aliqua muliere conuersari visus esset, atque ex hoc sinistram suspicionem, ac leuem præsumptionem incurreret, talis præsumptio temeraria dicitur, ideo quia nescitur qua ex causa conuersatus sit cum ea. Vel si quis videret egregiè vestitam fæminam, annulis, gemmis, ac catenulis aureis cultiorem, præsumeretque eam ob id, vel ad abusum Venereum addictiorem, vel eum ipsum ornatum ex quæstu aliquo sordido cōparauisse. nimiùm leuis esset huiusmodi præsumptio. † Probabilis autē siue 8
vniuersalis præsumptio dicitur illa, quæ est iudicis, & quam iudex ex indiciis colligit, hæc autem sumitur ex plurimis causis & suspicionibus. Vt si reus post peremptorias exceptiones proponit dilatorias, iudex præsumit quod id faciat ad calumniādum,

& ad partē aduerſam vexandam moleſtandamq́ue. Vel ſi Petrus nunc poſsidet hanc rem, quæ prius fuit Ioannis, ergo Petrus præſumitur eſſe, aut filius, aut hæres, aut ſucceſſor Ioannis. Et hæc præſumptio ante probationem contrarij ſemiplenam probationem inducit.
9 † Violenta præſumptio eſt, quæ ſurgit ex veriſimili & efficaci probatione, ideoq́ue hæc præſumptio vocatur iuris, nempe quod ius ex violenta præſumptione, præſumit rem ita eſſe, veluti ſi apparet chyrographum eſſe cancellatum, aut lineæ perducta trāſcriptione eſſe viciatum, præſumitur debitorem liberatum eſſe. l. ſi chyrographum. ff.
10 de probat. † Item violenter præſumitur, dum aliquis per multum temporis cohabitat cum vxore alterius, præſumitur eam cognouiſſe, etiamſi nullus viderit concubitum, nec vlla

consequeretur proles. † Item, si quis 11
inuentus sit nudus cum nuda, solus
cum sola in eodem lecto concubans,
præsumitur facta fornicatio vel adul-
terium. † Et ius semper præsumit i- 12
gnorantiam, vbi de scientia non con-
stet, & is semper ignorare præsumi-
tur, qui de sua scientia probare non
potest. l. verus, ff. de probat. Item
Ius † præsumit maritum alicuius viue- 13
re, donec de ipsius constiterit morte,
etiam in dubio, idque vsque ad cen-
tum annos, l. finali. C. de sacrosanct.
Eccles. Et † quilibet tandiu præsu- 14
mitur bonus, donec probetur eius
malitia. † Deinde præsumitur aliquis 15
bonus, qui natus est ex parentibus
bonis. l. si seruus communis, § qui
mācipia, ff. de ædi. edict. † Item ius
præsumit eum esse semper malum, qui 16
semel extitit malus, in eodem genere
mali ac delicti, c. semel malus. de re-

gulis

17 gulis iuris, in 6. † Item qui cum ma-
lis conuerſatur, malus eſſe præſumi-
tur. l. ſi plures. § ſi pares. ff. de admini-
18 ſtrat. tutor. Item, qui † abſens ſcri-
bit ſe redditurum pecuniam quam
promiſit, præſumitur præſens ſimilis
19 ſtipulanti promiſiſſe. Si † ex vtero
matris maſculus & fæmina ſimul na-
ſcantur, nec apparet, vter prius na-
tus, præſumitur maſculus primo na-
tus. l. ſi fuerit. § finali, ff. de rebus du-
20 biis. Item in naufragio † matris cum
infante, præſumitur prius infans fuiſ-
ſe mortuus, propter eius ætatem im-
becilliorem. l. inter ſocerum, ff. de
21 pact. dotalib. Nam ſi † filius ad pu-
bertatem vſque adoleuiſſet, & ſic vna
cum matre ſubmerſus fuiſſet, præſu-
meretur tunc matrē prius fuiſſe mor-
tuam, quod tunc filius adultus forti-
or habeatur. l. cum pubere. ff. de reb.
dubiis. Quemadmdum † ſi pater &
22

filius

filius vna acie ceciderunt, præsumptio est, patrem primò occubuisse, & sic mater rectè sibi vendicat bona cõtra cognatos patris hæredes, vt in l. qui duos. § cùm in bello. & § si Lucius
ff. de reb. dubiis. Sed † si pater & filius ambo sint viribus pares, etiam ambo pariter mortui esse præsumuntur. l. si hi qui inuicem. ff. de donat. 23
cau. mor. Item si † mulier, quæ viro denupsit, absque eo, vt de certa dote sit cõstitutum, intelligitur omnia bona sua dotis nomine adtulisse, & mariti bona hypotecæ nomine eatenus obligantur, per glos. in l. mulier bona. ff. de iure dot. quod tunc proce- 24
dit, si traditio accesserit. † Vnde fit, quod nomina debitorum, quia creduntur tantũ & non traduntur, extra hanc sunt præsumptionem. l. fin. C. de pact. conuent. Quod si vniuersa bona per fæminam marito in dotem 25

consti-

conſtituantur, de futuris, id non intelligimus, niſi ſit expreſſum, quænam in illam diſpoſitionem tranſlatiuam nõ veniunt. l. nulla lege prohibitum,
26 vbi Bald. C. de iure dot. † Item, qui oſtendit ſe ante 10. annum fundũ poſſediſſe, & modernum actum poſſeſsionis etiam comprobat, quamuis intermedios annos non probet, obtinet: nam qui extrema, principium puta, & finem, probat, is interiectum quoque tempus probaſſe videtur. Alex. in l. non ſolùm. § ſed vt probari,
27 ff. de oper. nou. nunciatio. † Item dum cohæredes aut fratres bona aliqua hæreditaria, ſeparatim poſſederunt, tempore 10. annorum, intelliguntur ea pro diuiſo habere, eſt gl. in l. ſi maior. C. communi diuidundo. Id tamen quod in iudicio familię herciſcundæ, & communi diuidundo, maximè locum habet: ſed vbi de do-

minio

minio est quæstio, agiturque de præiudicio alterius, longa hæc possessio non tuebitur citatū, sed oportet titulū possessionis ostēdat, vnde ius suum possidēdi fulciat, per Barth. & DD. ad d. l. si maior. † Itē quando debitor 28
aliquis donat aut vendit omnia sua bona absque necessitate aut coactione, ius præsumit, quod hoc ad suos creditores fraudandos faciat. l. omnes. § qui omnia. ff. quæ in fraud. credit. † Item, inter eos qui arma con- 29
seruerunt, ille præsumitur esse aggressor, qui est vulneratus, in l. si ex plagis. § tabernarius. vbi gl. in verb. nisi data. ff. ad l. aquil. Item † deponatur 30
apud quem loculus cum nūmis, obsigileturué, ille depositarius aperit loculum, talis præsumitur pecunias ibi inclusas subtraxisse, & iuratur contra eum, super taxa pecuniæ, in litem, secundùm ea quæ sunt in l. si

31 quando. C. vnde vi. Item † qui fatetur se pecuniam recepisse sed debitã, aduersarius verò indebitam esse contendit, præsumptionem pro se nemo habere dubitat: qui enim soluit, nunquam ita resupinus est, vt facilè suam pecuniam iactet, & indebitam effundat. quare si asserit se indebitum soluisse, id probare tenetur. Si verò ab initio negasset se, vel pecuniam, vel rem insolutam accepisse, & conuictus sit probationibus, respondere debet se debitam recepisse. l. cùm de debit. quær. ff. de prob. & præsumpt. Item
32 allegans † se soluisse, pro debitore accipitur, adeò vt nisi solutionem etiã probauerit, succumbere cogatur. Barth. in l. decem. ff. de verb. oblig. Quod obtinet, vbi debitum non negans, exceptionem solutionis purè opponit, secus quando sub conditione.
33 ne. Item † qui sæpè cum consangui-

neo rationem iniuit, pecuniamque sibi debitam accepit, præsumitur hoc, quod retro ante deberi contendit, remisisse, aut condonasse, in l. procul. ff. de prob. & præsump.
Item, Vicinus † præsumitur scire fa- 33
cultates, facta, secreta, & vitam alterius vicini. l. vicinus. C. de nuptiis. Et vxor pręsumitur scire facta mariti: sic & consanguinei præsumuntur scire facta suorum affinium, vt And. de Isern. in lib: feud. tit: de nat. suc.
Item † apud ignotos mulier præsumi- 34
tur esse vxor, quæ tanquam vxor tractatur, vt si eam domi quis foueat, alat, tractetque, nõ secus ac si eius esset v-
xor. c. illud. ext. De præsump. † sic pręs- 35
sumitur aliquis esse dignus, nisi probetur esse indignus. l. Seruius. ff. de
manu. testa. Item † præsumitur vxor 36
prior obiisse mortem, ante maritum, quando est dubium, vter prior deces-

 sit per

ſit, per gl. l. ſi poſſeſſor. ff. de relig. & ſumpt. fun.
37 Item † mortuus qui citò reuiuiſcit (quia incluſo ſpiritu, defeciſſe videri poterit, ſecundùm medicorum placita) prout & ego tempore peſtis, vidi quẽdam hominem, per decem horas exanimatũ & iam mortuum, dum verò in tumulum humaretur, aperto ore hiauit, cibumq; repentè conclamitauit. Talia exempla permulta apud Plinium lib: 7. cap. 52. vide. ſed talis non intelligitur fuiſſe mortuus. c. diuortiũ. de pæn. diſt. 1. Et quia in nullis rebus deſtitutus fuit, reſtitutione nõ eſt opus, ceſſante enim cauſa, effectus quoque ceſſare debet.
38 Cæterùm † ſi verè extinctus fuiſſet, & reſuſcitetur, ſicuti Petrauinus ille à D. Staniſlao, quia Diuino muneri id accepto ferendum, nulla legum conſtitutione iuuaretur, ſed vt vitę, ita rerum quoque dominium perderet, l.

fraternitatis. vbi Cardinal. Zabarella, & DD. in l. si marito. ff. soluto matrimonio. quo casu ad principis resolutionem aut decisionem esset recurrendum. per l. de nouo & l. humanũ. C. de legibus & constitut. Barth. tamen in l. nam ad ea. ff. de legibus. arbitratur talem restitutum vitæ, omnia recuperare, siue sunt bona, siue liberi, siue ius rumpendi testamentum, siue dignitatem, siue monachatum. Porrò si princeps potest omnia restituere, multò magis Deus, qui est Rex Regum, & Princeps Principum, cùm vita ipsa restituta, id facere possit. Vxorem tamẽ † quæ semel per viri mor 39
tem à vinculo matrimoniali erat dissoluta, non recuperat nisi nouo consensu matrimoniũ redintegretur, ad similitudinem eius, qui postliminio est reuersus, l. cùm duæ species, ff. de postlim. reuers. Item, † præsumitur 40

aliquis maior, nisi minor probetur, not gl. in c. in præsentia, extr. de pro
41 bat. Item † præsumitur quis perpetuò furiosus, qui furiosus fuit, vt probatur l. ambiguit. C. de vsufruct. Itē
42 partus † septimo mense inchoato, id est, qui ex sexto mense, & vno etiam die editus, pro perfecto est, & mariti esse dicitur, in cuius domum vxor & mater interea temporis est introducta, per l. septimo mense. ff. de statu
43 hominum. Item † præsumitur mulier ex alio concepisse, quæ post mortem mariti, per vndecim menses peperit, vt l. Gallus. in primo ff. de lib. & posth. & inter posthumos non habetur, non videturque admittenda ea proles ad legittimā defuncti hære-
44 ditatem. † Quamuis gl. alicubi quorundam Phisicorum authoritate nitens, diem vnum atque alterum huic adiiciat tempori. in l. septimo mense.

ff. de statu hominum. Verùm Cynus I c. dum eam legem, interpretando sumpsisset, septimo mense, consuluit haç in re gentilem de Fulgineo insignem medicum, qui respondit post decimum quoq; mensem, & paucos deinde dies, legittimum edi partum, nō incōgruo naturæ ordine. Proinde posse fieri, vt in 12. atq; 13. etiã mense mulier partũ edat. Quod quia rarum est à iureconsultis non recipitur, secundùm Bart. in d. l. Gallus. Vbi etiam de eo partu disserit, qui dum mater aliquot diebus à morte prioris mariti, alteri nupsisset, 10. mense est editus, cuiusnam mariti esse debeatur?
Et rectè † quia lex non de iis quæ raro, sed quæ vt plurimum accidunt, 45
est lata, l. iura. ff. de legibus. Plurimi tamen Medici & Philosophi asserunt 11. 12. & 13. mense, posse edi legittimum partum, & Plinius lib: 7. ca. 5.

Ariſt. lib: 7. de natu. animal. ca. 4. & A. Gellius lib: 3. c. 16. vbi Maſſurius author eſt, L. Papyrium prætorem ſecundò hæredem agentem, bonorum poſſeſsionẽ contra eum dediſſe, cùm mater partum ſe 13. menſibus tuliſſe diceret. Quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatum ei videretur.
46 Item † aliquis falſarius eſſe præſumitur, qui ſemel ſcriptura ſuſpecta in iudicio eſt vſus, l. iubemus C. de pro-
47 bat. Item † ex titulo putatiuo præſumitur bona fides, niſi aliqua alia prę-ſumptio in contrarium appareat, in l. penult. C. de præſcript. long. temp. Et ius præſumit vbiq; bonam fidem, niſi contrarium probetur. & ſic dein-
48 ceps. Quarta † ſpecies præſumptionis videlicet neceſſaria, quæ communiter vocatur iuris, & de iure, tantam enim habet efficaciam, vt facem præferat ad probationẽ plenã, indu-

catq; iudicem ad ſic pronũciandum,
non obſtãte contrario. Dicitur autẽ
iuris & de iure, ideo, quia ius ex circũ
ſtantiis vehemẽter præſumit rem ne-
ceſſariò ſic eſſe vel non eſſe, adeò vt
propter talem præſumptionẽ, iudex
ius ſuper ea ſtatuat, & ſententiã pro-
nunciet: Vt † quando quis iuſiuran- 49
dum delatum, neque præſtare, neque
referre contendit, temerarius litiga-
tor atque pro conuicto habetur. Vel
ſi quis † poſſidet agrum, non eſt opus, 50
vt per omnes eius glebas circumam-
bulet: ſufficit enim introire, proinde
præſumetur totius poſſeſſionem ac-
quiſiuiſſe: niſi animo contrarium pro
teſtatus ſit, l. poſſider. ff. de acquir.
vel amitt. poſſeſ. † Item ſi quis con- 51
traxit cum quadam de futuro, & po-
ſtea eam cognouerit, certè fortiter
ius præſumit tale ipſius matrimoniũ
eſſe conſumatum & cõtractum, nul-

lamque aliam probationem admittendam censeri, c.15 qui. extra. de spō-
52 sal. Item † ius præsumit, quòd sponsus consentit in matrimonium, qui mulierem duxit sub conditione, vt eam carnaliter cognosceret: ius enim præsumit amborum tum consensum accessisse, ideoque statuitur tale matrimonium esse seruandum, vt in c. de illis. ext. de sponsal. impub. Item,
53 Pater † aliquis elocet filiam inuitam in matrimoniū, illa verò postea permisit se à sponso cognosci, & familiā cohabitans marito alere cæpit, præsumitur in matrimonium consensisse.
54 Item † præsumit ius, quod proles spectet ad virum & mulierem, quando vir ille & mulier simul alentes familiam cohabitant. Exempla plura tali-
55 um præsumpt. Speculator eodem titulo, tibi suppeditabit. Sed † iudicem in talibus præsumptionibus inquiré-

dis, oportet eſſe cautum, omnia enim
prius perquirat, quàm ex præſumpti-
uis ſuſpicionibus ſententiam ferat, &
ſemper æquiorem cauſam reo, quàm
actori vertens dirigat. † Enimuerò 56
cùm nulla fermè iuris ſit definitio,
quin exceptionē admittat, quando-
que fit, vt contra huiuſcemodi præ-
ſumptionem etiam neceſſariam, con
trarium aſſeuerare poſsis, ſi per
iudicem fuerit permiſſum. Ioan: de
Graſsis, in c. quando. de præſump. 2.
propter confeſsionem litigatoris præ
ſumptioni contrariam. not. in auth.
ſed ideo neceſſe, C. de donat. an. nu-
pti. † Et ne in his præſumptionibus 57
imprudentius peccetur, triplex illa-
rum diſtinctio notetur, iuxta gl. rubr.
C. de probat. & præſump. Nam quę-
dam eſt talis, tamq; certa & vehemēs
vt ipſi omnino ſtandum eſſet, quam-
uis etiam contrarium probaretur, vt

ſi mulier ſtipulata eſſet dotem, l. in princip. C. de rei vxor. act. Alia talis, cui ſtetur donec contra probetur, vt ſi res aliqua fuiſſet patris, ea quoque hæredis eſſe præſumitur, vt l. ſiue poſsidetis, C. eodem. Alia cui nullatenus ſtetur, niſi adminiculis iunctis fulciatur, qualis eſt probatio per priuatum inſtrumentum, vt l. inſtrumenta, C. eodem.

Titvlvs VIII.

De Iureiurando.

Summæ.

1. *Iuramentum eſt vltimum probandi præſidium.*
2. *Religio iuriſiurandi terribilis.*
3. *Indiſcreti non admittuntur ad iurandum.*
4. *Iuramento inſint, veritas, iudicium, & iuſticia.*
5. *Litigantium cauſæ, iuramentum eſt remedium.*
6. *Triplex in iure iuſiurandum.*

7. *Voluntarium quod dicatur.*

8. *Necessarium quid sit.*

9. *Iudiciale iuramentum describitur.*

10. *Necessarium iuramentum ob tres causas fieri solet.*

11. *Non semper, nec vbiq;, iuramentum est deferendum.*

12. *In semiplena probatione, supplementum est iuramentum.*

13. *In æquali probatione reo potiùs defertur iuramentum.*

14. *In deferendis iuramentis oculatus & cautus sit iudex.*

15. *Actor non exactè probans supplet iuramento.*

16. *Meliùs in causa scienti, iuramentum deferatur.*

17. *In causa famosa non defertur reo iuramentum.*

18. *In iuramento deferendo qualitas personarum videnda.*

19. *Actor quomodo præcauet, vt sibi potiùs iuramentum deferatur.*

20. *Iuramentum in litem à iudice deferri debet.*

21. *Ad iuramentum in litem, quando recurritur.*

22. *Deponens pecuniam, contra depositarium dolosum, quomodo iurat.*

23. *In iuramento ad litem, certa summa præfiniri debet.*

24. *Iusiurandum in litem etiam fit, ad actionem in rem.*

25. *Tutor vel cuius ea interest non conficiens inuentarium, iuramēto in litem conuincitur.*

26. *Onus actionis iuramenti in litem, etiam in hæredes delabitur, quando.*

27. *Contra depositarium rem sigillatam resignantem, in litem iuratur.*

28. *Iuramentum metas libelli non excedat.*

29. *Testes quale iuramentum præstent.*

30. *Iuramentum quis pro termino præfixo non præstans condemnatur.*

31. *Terminus iuramenti contra absentem adstatur.*

32. *Iuramentum plenipotenti adiudicatum, principalis præstet.*

33. *Mulier non tutor iuret.*

34. *Iurans quis pro quapiam re, amplius impeti non debet.*

35. *Ius probandi per iuramentum, an transeat ad hæredes.*

VLTIMVM est in † iure probandi 1
præsidium, per iuramenti præstationem, dum neque testibus, neque instrumentis, neque præsumptionibus, atque coniecturis, veritas rei controuersæ potest manifestari, neq; iudici aliter probari: tum demum ad religionem iurisiurandi recurritur. SS. lib: 1. ar. 18. nemo † enim tam ve- 2
cors & vesanus in Christianismo esse præsumitur, qui impietatis adeò sit prouectus, præceptorum Diuinorum osor fastidiosus, propriæque salutis contemptor nefarius, qui iurare auderet, nisi id quod cùm veritate coniunctum existimaret, dum sub pæna cælestis gloriæ luenda, iuret se dicturum veritatem. † ideo qui non sunt 3
compotes tantæ indolis, vt dispicere possint, quantum sit periculum peierantis, à iurisiurandi præstatione arcentur: quales sunt furiosi absq; lu-

cidis interuallis, & pupilli proximi infantiæ, l. diem proferre § coram: ff.
4 de arbitr. Proinde † cum in religione iurisiurandi veritas, iudicium, & iusticia contineri debeant, idq; quod iuratur, sit veritati consonum, iustum, licitum, & honestum, aliâs periurium erit, & temerarium iuramentum, vt c. vlt. 17. q. vlt. de iureiurando. Cu-
5 ius † quandoquidem tanta est grauitas, remedium quoque præsentissimum dirimendarum expediendarũque litiũ fit, quod vel à litigatoribus inuicem defertur, vel à iudice, modò actori, modò reo iurandum decerni-
6 tur. † Triplexq; in iure iuramentum reperitur: Voluntarium, Necessariũ,
7 & Iudiciale. † Volũtarium est, quod pars parti, vel in iudicio, vel extra iudicium voluntariè defert, & ideo sic dicitur, quòd & voluntate defertur, & voluntate suscipitùr, l. iusiuran. C.

de iureiurand. † Necessariũ est, quod 8
ipse iudex alterutri partium defert, & etiam ad tale iuramentum cōpellit, ideo id nemo detrectare valet, nisi iustam recusationis causam habeat, l. Generaliter, C. de iureiurando. Iudiciale † iuramentum est, quod pars 9
parti in iudicio tantùm defert, iudice idem per sententiam approbante: & tale potest recusari. l. delata, C. de iureiuran. † Necessarium iuramen- 10
tum, ob tres causas fieri solet, 1. dum alteri defertur ob defectum melioris probationis. 2. quando ad abolitionem delicti, cuius insimulatur, pertinet. 3. ad litem examinandam, defertur. argu. § Item si quis. Inst. de actionib. † Neque semper aut vbiq; iu- 11
ramẽtum est deferendum: nam dum aut nihil per partes probatur, aut probationes plenæ in iudicium sunt productæ, neutri partiũ defertur iuramẽ-
tum.

12 tum. Quando † verò ſemiplenè per aliquam partem probata eſt res controuerſa, in ſupplementum eius probationis defertur actori vel reo, pro
13 arbitrio iudicis, iuramentum. † Dum autē æqualibus probationibus actor & reus liquidant ſuam actionem, potius reo deferatur iuramentum, quia iudicis partes debent eſſe potiùs in abſoluendo & liberando, quàm condemnando, l. Arrianus, ff. de act. &
14 oblig. † In qua tamen re oculatum eſſe iudicem oportet, vt boni viri officium præſtet, illiq; deferat iuramentum, qui ex bono & æquo id ſubire debeat, quare delectus habendus eſt inter litigatores, vt ſic cum cauſæ cognitione deferatur, quatenus videlicet, vel probationum, vel præſumptionum ratio patitur, inducens iudicem, vt modo actori, modo reo ſacramentū deferēdū tutiùs arbitretur, ne

periuriis causam præbeat actori, quā-
do defertur iusiurādū.† Porròsi actor 15
aliquid probârit, non tamen exactè,
tunc in supplementum suæ probatio-
nis, si alioqui famæ non sit suspectæ,
poterit hoc quod intendit, iureiuran-
do confirmare, & secundùm eum iu-
dicabitur. † Deinde ei deferendum 16
potiùs iuramentum, de cuius facto a-
gitur, & sic stet penes melius scientē
religio sacramenti præstanda, fas e-
nim est, vt qui perfectam rei contro-
uersæ noticiam habeat, iuret, quàm
si quis de alieno facto ignarus rei iu-
ret vel satiùs peieret, tali enim igna-
ro & in alieno facto non debet de-
ferri iuramentum, ne ipsi detur occa-
sio anceps subeundi periurium, vt l.
videamus, ff. de in litem iurando.
Quemadmodum † & in ipsa causa fa- 17
mosa eaque ciuili, iuramentum non
defertur reo, licèt partes id poscant,

ne videlicet reo detur occaſio peierandi, vt infamiam videlicet per tale periuriū euadere geſtiat. Speculat. lib: 2. par. 2. Rub. de iura. delat. De-
18 inde † conſideranda eſt qualitas perſonarum, quæ melior, quæ dignior, & quæ ad veritatem fatendam certior, & fide dignior eſſe videatur, ei deferatur iuramentum, l. legittimos. ff. de legit. tutor. Et ſi † actor videat &
19 vereatur, ne iudex reo deferat iuramentum, poteſt tali ratione præcludere viam reo ad iuramentum, dicendo eum ad præſtandum iuramentum eſſe ſibi ſuſpectum, l. non omnes. § de à barbaris. ff. de re militari. Eſt eti-
20 am † iuramentum, quod ad litem pręſtatur, & à ſolo iudice deferri debet: & ſi aliquis id detulerit ſine iudicis decreto, neque religio erit, neq; iuſiurandum, l. videamus, § deferre autē
11 ff. de in litem iurando. Ad † iuramē-

tum in

tum in litem præstandum recurritur, quando dè eo, quod nostra interest, aut etiam damno aliquo propter Rei conuenti moram & culpam controuersia sit, & id liquidò probari non possit, quia tamen præsumptio iuris est contra reum, in iudicis arbitrio erit iusiurandum hoc deferre, vt actor religiosè testetur, quanta pecunia potiùs carere mallet, quàm tale damnũ subire, id quod in rebus quibus adfectio non accedit (quare & iuramentum affectionis nominatur) nequaquam locum habet. † Qui verò pe- 22
cuniam deposuit, non iurat quanti sua intersit eam non reddi, cùm certa sit depositi æstimatio, sed bene poterit iurare, quanti sua intersit, nummos sibi sua die redditos non esse, vt quos nõ ociosos haberet, sed in cõmodum aliquod collocare potuisset, in quo cùm sit impeditus, damni loco

habetur, & pro eo quod ſua intereſt petitur, inq́ue legis æſtimationem, ceu legis pænam cedit. Vlpianus in l. nummis depoſitis. ff. eodem. Ne
23 tamen † in infinitum quis iurare auſit, iudex certam ſummam præfinire poteſt, vſque ad quam iuretur, idq́; cum bona fide & arbitrio congruenti, & quia affectionis iuramentum eſt, vſque ad duplum intereſſe cõmunis æſtimationem porrigere permittitur, ad eandem reus quandoq; venit condemnandus. Vlpi. in l. videamus: § iurare autem in infinit. ff. de in lit.
24 iurando. † Defertur etiam iuſiurandum in litem, ad actionem in rem, contra non reſtituentem, vt eum qui iudicis mandato non paret, l. à poſsidentibus, vbi DD. C. de rei vendicat.
25 In tutorem † etiam vel quemuis alium, cuius id intereſt, inuentarium intra tempus à iure deſcriptum non

conficientem, vel confectum non edentem in litem iuratur, l. tutor qui repert. vbi glo. ff. de admin. tutel.
Quod † onus culpabile ad hæredem 26
etiam, non conficientis inuentarium ſcilicet tutoris, curatoris,&c. deriuatur, ſi tutor priuſquam decederet, litem in his conteſtaretur, vel ipſe hæres in dolo malo, vel lata culpa deprehenderetur, l. alio iure, & l. licet.
C. de in lit. iura. Contra † hoſpitem 27
quoque, vel alium cui pera conſignata traditur cuſtodienda, ſi eam reſignatã reddat, in litem iuratur. Barth. & Alex. in l. actionibus, ff. eodem.
Nec † iuramentum debet excedere 28
metas libelli, ſecundùm enim quod inſtituta querela inducitur, iuramentum fieri debet. Teſtes verò † iuramenti principalis perſonæ conteſtantes comites non debent iurare in rem controuerſam. ſed ſic.

quod videlicet iuramentum principalis perſonę eſt iuſtum & ſyncerum, ita me Deus adiuuet,& omnes ſancti.
30 Et reus † ſiue actor delatum iuramẽtum,ſi definito tempore non præſtat, in lite condemnatur, niſi fuerit legittimo impedimento adiutus. SS. l. 2.
31 art. 11. † Si verò reus paratus ſit ad iurandum tempore & loco ſtatuto, & actor iuramentum reſpuerit, aut pręſens non fuerit, reus liber decernetur eſſe à ſacramento, & à debito, vel à re pro qua impetitur. SS. ibidem.
32 Iuramentum † etiam adiudicatũ plenipotenti, principalis illud explere tenetur, non plenipotens. SS. lib: 2.
33 art. 42. Item † vbi iuramentum mulieribus decernitur,non tutor,ſed perſona principalis iuret, negatiua tamẽ præſens fieri debet per tutorem. SS.
34 lib: 1. ar: 46. Et † ſciendum eſt, quòd cùm alter alteri defert iuramentum

pro aliqua re, iurauerítq; ille, amplius impeti pro eadem non debet, quia iuramento liber euasit, sed nec pro periurio contra eum potest actor procedere, nec enim sibi istud competit, sed Deo omnipotenti. SS. l: 1. ar. 18. & l. 2. ar. 34. Quod sanè est terribilius, hinc caueat periurus, horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis, inquit Apostolus. Sed † quæres, 35
an ius probandi per iuramentũ transeat ad hæredes? Et videtur prima fronte quod sic: nam hæres cum defuncto, pro vna eademque persona censetur in iure, vt in nouell. 48. statim in princ. videre est. tum & regula iuris est, quæ obstant contrahentibus, & eorũ etiam successoribus obstare videntur. l. quod ipsis. ff. de regulis iuris. Respondeo distinctione præsupposita ea: quòd idem sit hæres cum defuncto fictione iuris, quoad

iura defuncti, non quoad factũ: nam factum defuncti nũquam hæredi imputari poteſt, l. ſicuti pæna, ff. de regul. iur. Proinde communiter practicatur in Curia Regali, quod actor in tali caſu potius petitionem ſuam, quàm hæres factum defuncti iuramẽto comprobare debeat. Quod ſi actor renuerit iurare, extunc hæredi poteſt deferri iuramẽtum tale, quod nullam noticiam habeat de debito ſeu facto defuncti, vt glo. SS. lib: 3. art. 11. & lib: 1. art. 6.

Titvlvs IX.

De Tranſactionibus, & concordi arbitramento.

Summæ.

1. *Officium eſt Chriſtiani iudicis litigantes ad tranſigendum reducere.*

2. *Dum cauſa litigantum certa eſt, Iudici nõ licet ad concordiam partes inducere.*

3. *Propter euentum iudiciorum ambiguum, partes interdum periculum causæ, transactioni committunt.*

4. *Transactio quid sit.*

5. *Transactiones parem facultatem habent cum sententijs.*

6. *Negotium datum transactioni . innouari non debet.*

7. *In continenti transactionis gestæ, pœnitens eam rescindere nequit*

8. *Cui est semel renunciatum, amplius id non restaurandum.*

9. *Ius gentium, & scriptum suadet, pactiones esse seruandas.*

10. *Ad transactiones faciendas, causa iuris, tria requiruntur.*

11. *Transactio non rescinditur. ob allegationem deceptionis, in dimidia parte iusti pretij.*

12. *Transactio per dolum & fraudem inducta rescindi potest.*

13. *Post sententiam latam inprincipali negotio, nullus transactioni datur locus.*

14. *Transactiones in omnibus causis regulariter concessibiles.*

15. *Transigere in criminalibus non licet nisi quando irrogatur pœna sanguinis.*

16. *Praxis Curiæ Regalis de eo.*

17. *In publicis criminibus citra pœnam ſanguinis puniẽdis, tranſactio non permittenda.*

18. *Ratio redditur cur in cauſa pœnæ ſanguinis, tranſigere ſit integrum, in pœna non corporis, haud liceat.*

19. *In iure Saxonico tranſigens pro crimine, pœnam infamiæ incurrit, & quomodo tranſigens eam infamiam declinet.*

20. *Qui in cauſa paciſcuntur, à lite, inſtantia, & cauſa recedant.*

21. *Lis, inſtantia, cauſa, quomodo differant*

22. *Tranſacturi in cauſa, ipſam deduнt in ſententiam arbitrorum.*

23. *Arbitratores, & arbitri, quo pacto differant.*

24. *Iudex & arbiter, in quo conueniant.*

25. *Inter arbitrum & iudicem, differentiæ explanantur.*

26. *Arbiter quid ſit.*

27. *Arbitrator definitur.*

28. *Ab arbitramento arbitratoris recurritur ad arbitrium boni viri, & hoc quomodo.*

29. *Qui locum ſtandi in iudicio non habent, nec ſunt habiles ad cauſas ſuas tranſactioni committendas.*

30. *Arbitrorum ſententiam, ſiue ſit æqua, ſiue iniqua partes ſuſtinere tenentur.*

31. *Sen.*

31. Sententiam arbitri non seruans, incidit in pœnam compromisso vallatam.

32 Quo casu pœnam compromissi emaneant, qui morem arbitrorum sententiæ non gesserint.

FÆLICES & beatos Seruator noster illos nuncupauit, qui sunt pacifici. quare satis Christianum esset officium iudicis Christiani † vt cùm 1
viderit causas partium intricatas, ambiguas, incertas, atque adeò obscuras, si ignoretur, penes quem victoria litis remansura sit, aliquando (ne in temeraria litigia, & dispendia inexhausta vergāt controuertētes) eos sua cura ad transigendum & concordandū amicè alliciat. † Quodsi iam 2
sit causa certa, & processus in iure conclusus, vsitatus, & diligenter examinatus esset, atque pro sua dexteritate, disquisitis partium allegationibus, iudex certò cognosceret, vtrius partis causa esset potior, & iustior, eo

caſu non debet partes ad concordiam inducere, id enim faciens alterutri parti fauere videretur, quod iudici nequaquam licet: proinde ius inter partes eatenus dicere debet.
3 Et † quia plerumque ante ferendam ſentétiam partes anxię de dubio exitu ſuæ actionis: quoniam ſicuti rerum omnium, ita litis & iudiciorum euentus, ſemper eſt dubius & incertus, l. quod debetur, ff. de peculio. tranſactionibus periculum committere ſolent, ideo hic ante tractatum de ſententia, prius de tranſactionibus dicẽ-
4 dum duximus. Eſt † itaq; tranſactio de re dubia, & de lite incerta nõdumque finita, dato aliquo promiſſo vel retento non gratuita pactio, vt in c.
5 ſuper eo. Extr. de tranſact. † Tales autem tranſactiones, parem facultatem habent cum ipſis ſentenciis, & re iudicata: recta enim placuit rati-

one, ni-

one, nihil ita cõpetere fidei humanę, quàm ea quæ placuerint cuſtodiri. l. nõ minorẽ. C. de tranſact. † Atq; ne- 6
gociũ datum tranſactioni, & compoſitum, innouari non debet, nec reſpõdere pro eo quis cogitur, SS. lib: 1. art. 8. dicit enim lex, cauſas & lites tranſactionibus legittimis finitas, reſuſcitari non oportere. l. cauſas, C. de
tranſact. † quamuis etiã in continẽti 7
aliquam partium pęniteat tranſactionis, non tamẽ prodeſt tum ei, l. quãuis, C. eodem. † Cui enim ſemel re- 8
nunciatum eſt, id non amplius decet reſtaurare, l. poſtquam. C. de pactis.
Ius † enim non tantùm ſcriptum, ſed 9
& gentium ſuadet pactiones inter homines ſeruandas. l. ius gentium, ff. de
pactis. † Sciendum autem eſt, quod 10
tria requiruntur ad faciendas cauſa iuris tranſactiones. 1. quod ſit cauſa dubia, quia de certis & liquidis non

transigitur. 2. quod actu, vel saltem apparenter lis futura videatur, sic timor litis mouendæ sufficiens, causa est ad transigendum, l. cùm te proponas. C. de trã sactiõn. 3. quod ex transactione aliquid ab vtra partium speretur commodi, licèt etiam aliquid quæpiam pars de suo iure concederet, l. transactio. C. de transact. Ideo
11 si † etiam aliqua pars transactionem rescindere vellet, allegans deceptionem vltra dimidiam partẽ iusti precii, ei id non permittitur. l. sub prætextu specierum. C. de transact. Ex hoc enim quod quis à lite recedit ob id, & magnum commodum consequi dicitur, & deceptus esse non cẽsetur: argum. l. secunda. C. de transactio.
12 Sed † hæc rescissio dicitur & intelligitur non currere in transactione legittimè & debitè facta, nam si transactio per dolum & fraudem, aut per

malam & sinistram inductionem facta esset, grauatus optimè potest de ea conqueri & petere ab illa releuari: fraus enim & dolus nulli in iure patrocinatur. Porrò † post sententiam la- 13
tam super principali negotio nullus locus inuenitur transactioni, quia tunc causa seu lis clara & liquida est facta, & omne dubium sublatum. dictum verò est, transactionem ex causa iuris in actionibus dubiis interuenire debere. Verùm si à lata sentētia reus prouocasset, extunc pendente adhuc lite, quia incertus est vterque, tam actor quàm reus, de euentu litis, transigendi ipsis est facultas. † Et re- 14
gulariter in omnibus, tam publicis quàm priuatis causis, trāsactiones videntur esse concessæ, per expressum tex. in l. 1. § penul. ibi: neque enim transactionibus est interdictum, sed sordidis concussionibus, ff. de calu-

15 mniat. † Attamē in criminalibus, non nisi in iis licitum est transigere, in quibus irrogari solet, pæna sanguinis, vt l. transigere. C. de transact. & ratio est, quia licet vnicuique quomodolibet sanguinem suum redimere, l. 1. in fine, ff. de bon. eorumqui an.
16 sent. mor. sib. cōsc. † Quod & praxis curię tenet, prout inter Pozoga & Se-
17 cka 1597. & in aliis decisū fuit. † Quod si in publicis criminibus, non ingerentibus pęnam corporalem, siue pænam sanguinis, quales sunt exilium, publica ostentatio, gestatio tædæ, manutenentia gladii, & aliæ prouolutiones in valuis templi, incessus in lineis, ac similes aliæ pænæ pænitentiales, & de talibus transigi non potest, vt DD. hic tradunt, quia tales pænales correctiones concernunt fauorem publicæ vtilitatis & vindictæ: Reipub: enim interest, ne crimina

maneant impunita, l. ita vulnerat. ff. ad l. Aquiliam. † Ratio autem diſpa- 18
ritatis facilè cõponi poteſt, nam quod liceat in criminalibus, pœnam capitis, cutis, vel ſanguinis demerentibus, in his autem pœnitentialem duntaxat emendationem irrogantibus non liceat tranſigere. in propatulo cauſa: quia in huiuſmodi criminibus quibus ingeritur pœna ſanguinis, trãſactio ob metum periculi permittitur: ibi verò cùm nullum diſcrimen ſalutis timeatur, publicæ autem vindictę, aut commodi fauor potiùs intercedat, fit vt in taliſmodi exceſsibus pœnæ non veniant relaxandæ: ſi enim his criminibus tranſigi poſſet, diuitibus via præſtrueretur ad impunè peccandnm, quibus ne ea occaſio præbeatur: cautum eſt, vtne in dictis criminibus tranſigatur. l. conuenire. ff. de pactis dotalibus. Et † quamuis iu- 19

re Saxonico cauetur, ne in crimine famoſo tranſigere cui integrum ſit, alioquin pænam infamiæ incurreret, lib: 1. art: 37. tamen poſſunt & in talibus fieri tranſactiones, dũ reus cum actore per aliam perſonã pro exceſſu paciſcitur. vt in Regno etiam ſuper homicidiis metu pęnarũ tranſigitur. Et † quicunq; in ſua cauſa paciſcuntur, recedere iam debent à lite & inſtantia: Recedere autem eſt ab inſtantia, eſt propriè renunciare actis & cæptis omnibus, vſque ad litiſconſtationẽ. Cedere verò liti eſt renunciare propriè omnibus actionibus à litiſconteſtatione, quando lis figitur vſque ad definitiuam ſententiã. Renunciare autem cauſæ eſt, in omnia cauſæ acta, imò & cauſam ipſam, ſiue ipſam petitionem, propoſitionemq; aduerſarii conſentire. Hæc autem à iuriſperitis confunduntur, lis, inſtã-

tia, causa, quamuis non idem sint:
nam † instantia est omnis actio, quæ 21
ad litisconteſtationem peragitur. Lis
verò significat actionem realem aut
perſonalem, quæ incipit à litiſconte-
ſtatione. Cauſa verò vtrunque com-
plectitur, vt in Authen. qui ſemel. C.
quando & quomodo iudex. † Dum 22
ſic partes recedũt per mutuum con-
ſenſum à cauſa, tranſactioniq́ue man-
dant ſuam actionem, in ſubmiſsiones
ſeu arbitria cadunt, atque in arbitri-
um bonorum & doctorum virorum
ſe cum ſuis cauſis componendos, &
certo inuento iudicato mitigandos.
Quod vt æquiùs fiat, vtraq; pars cau-
ſam ſuam dedit, & ſubmittit in ſen-
tentiam arbitrorum. Et † aliquando 23
etiam in arbitratorum (qui eo dife-
runt ab arbitris, quod cum arbitri iu-
ridicè procedant vt iudices, arbitra-
tores autem amicè) l. prima, ff. de re-

cept. arbitr. Si coram arbitris proponenda eſt actio: vti in iudicio eſt procedendum, offerenduſque libellus, § actionum autem. Inſtit: de action.
24 Et † ſicut iudex debet probationes recipere, ita & arbiter. l. penultima, C. de recept. arbitr. Quemadmodũque iudex iudicare debet de toto, ita & arbiter l. quia tamen. C. de recept. arbitr. Sicut iudex, ita & arbiter ſententiam ex ſcripto pronunciare debent, l. prima. C. de ſent. ex ſcript. recit. & ſicut iudex noctu non ſentenciat, vt in auth. de iudiciis. § ſedebũt coll. 6. ita & arbiter. quia inter eos nulla eſt diuerſitas in iudicando, d. l. prima, C. de recept. arbitr. Et ſicut iudex, ita & arbiter victum victori in expenſis condemnat. l. eum quem temere. ff. de iudiciis. & l. properãdum. C. eodem.
25 † Eo autẽ differunt arbiter & iudex, quia iudex in inui-

tas partes pronunciat, l. inter ſtipulantem. ff. de verb. oblig. ſecus in arbitrio ſeu compromiſſo: nemo enim inuitus compromittere cogitur. Deinde ex ſententia iudicis naſcitur actio, l. actori. C. de iureiur. Ex ſententia arbitri non. l. prima. C. de recept. arbitr. Quia etiam arbiter in die feſto poteſt ſententiare, quod nõ item iudex. Præterea quia ab arbitri ſententia, ſiue iuſta, ſiue iniuſta non appellatur, l. diem proferre. ff. de recept. arbitr. Nam ipſius ſententiæ, non ex iuris reuerentia, ſed metu pænæ ſtatur. Arbiter † enim eſt, qui de 26
conſenſu partium quaſi iudex eligitur, & in eum ſub pænæ ſtipulatione compromittitur, c. à iudicibus. 2. q. 6. & l. nõ diſtinguemus. ff. de recep. arbitr. Sed † arbitrator, qui tantùm 27
eſt amicabilis compoſitor, procedit non ſecundùm iuris ordinem, ſed ſe-

cundùm ſuam voluntatem, conſcientiam, & bonā fidem, coramq; ipſo nō proceditur ordinariè, ideo nec proponitur actio per libellationē, vt Barto. in l. ſocietatē, § arbitrorū. ff. pro ſocio. Ideo etiam ſi non rectè iudicârit, pro malè iudicato reſpondere non tenetur, quamuis vni quàm alteri plus concedat. per l. ſed etſi in ſer-
28 uum. ff. de recept. arbitr. † Vnde & à tali ipſius arbitramento poteſt appellari vel recurri, non ad iudicem ordinarium, ſed ad arbitrum, ſeu ad arbitrium boni viri, l. irruere. ff. pro ſocio. Et hoc fieri poteſt ope exceptionis, aut replicationis, arg. l. vnde ſi Neru. ff. pro ſocio. dum E. g. in accuſatione pro ſocio, ſi reus credat ſe grauatum ex arbitramento, ſeu dicto arbitratorum, taceatque, & quando agetur contra eum, poteſt excipiendo conqueri, de iniquitate arbi-

tratorum, & sic corrigetur prioris arbitramenti iniquitas, vt notatur in l. proxima. ff. pro socio. † Hoc est 29
hîc notandum, quod qui per se locũ standi in iudicio non habent, vti pupillus, minorennis, mutus, surdus, amens, & alius quisquam talis : ita & compromittere non possunt, sine authoritate tutorum, vel curatorum suorum. l. diem proferre. ff. de recept. arbitr. Simile dic de filio non emancipato, item de vxore: ille sine patris, hæc absque mariti consensu, cõpromittere non possunt. † Arbitrorum 30
sententiam pronunciatam, siue sit æqua, siue iniqua, partes seruare tenentur, aut non seruans vteruis pænam in compromissione vallatam subeat. Et si quid incommodi ex tali arbitrio se nactum esse cõqueratur, id sibipsi imputet, qui in talem arbitrum eligendum consensit. vt in l. qualem. & l.

cessius, & l. diem. ff. de recept. arbitr.
31 Proinde quæ pars † in arbitri senten-
tiam non consenserit, arbitrioq; cõ-
promisso contrauenerit, incidit in
pœnam, ab arbitrio compromittente,
constitutam, & ab vtraque parte con-
cessam & acceptam. Pro qua pœna
non iam coram arbitro, sed apud iu-
dicem ordinarium, contra non ob-
temperantem partem, altera pars ar-
bitrium ratum habens aget, vbi ordi-
nario modo talis immorigerus in pœ-
32 na condemnari debet. † Nisi fortè
post expirationem decem dierum,
sententia lata per arbitros, ab altera
parte, emologetur & approbetur, vel
non pœna, sed potiùs iureiurãdo par-
tes transigentes in cõpromisione ser-
uãda se obstringant, vel pœna cõpro-
missi, excedat facultates partis alicu-
ius cõpromittẽtis, ita Iodoc. Damhud.
in praxi rer. Ciuil. Tit. de pen. luen.

TITVLVS X.
De Sententijs.

Summæ.

1. *Iudex quomodo ferre debet sententiam.*

2. *In sententia ferenda, iudex meminerit officij sui.*

3. *Iudex in causa, si quid ambiguitatis resoluere nequeat, quid faciet.*

4. *Iudex reum conuentum, sciens esse obnoxium rei controuersæ, videatq́; eundem defensis se suis excipere, potiùs absoluat.* 1

5. *Iudex sententiam formatam in scriptis proferat.*

6. *Iudex postquam tulit sententiam desiit esse iudex.*

7. *Iudex sententia lata, nihil potest addere vel detrahere.*

8. *Sententiarum species duæ.*

9. *Sententia interloquutoria quæ sit.*

10. *Sententiam interloquutoriam quando reuocare licet*

11. *Sententia definitiua describitur.*

12. *Quælibet sententia sex ferè partibus constat.*

13. *In actione reali sententiæ pronunciabilis forma.*

14. *In cauſa perſonalis actionis, ſententiæ exemplar.*

15. *Exegeticon breuitatis propoſita.*

16. *In ſententijs cauſas iuſtificatorias attexere non eſt opus.*

17. *Cauſæ iuſtificatoriæ ſententijs quando applicandæ.*

18. *Sententia à qua non eſt appellatum, traſiit in rem iudicatam.*

19. *Sententiam quam iudex ordinarius tulit, eandem exequi tenetur.*

SVPEREST poſt tam longas litigãtum ambages, delabi ad eum ſcopum, qui rebus, cauſis, & controuerſiis earum, finem imponit, in eoque, iudiciorum prora & puppis verſatur; qualis eſt ſententia. † Quam iudex
1. poſt litem partium conteſtatam, allegatis & probatis, ab vtrinque bene exauditis & intellectis, tum omnibus cauſæ meritis diligenter inueſtigatis, die non feriato, ante meridiem, iudiciario ordine ſeruato, citatione præ-

missa, partibus præsentibus, vel per contumaciam vna absente, deliberatione præhabita, ieiunus, sedens in iudicio pro tribunali, in loco iudicādi consueto, clara luce, loco aperto, ex scripto, pronunciare debet, SS. l. 1. ar. 62. lib: 2. art: 12. & lib: 3. ar. 69. & l. 2. C. de sent. ex peri. recip. In cu- 2.
ius † prolatione edisserenda, iudex sit memor officij sui, memineritq; cumprimis terribilis iudicij Diuini, & ideo nisi velit strictissimum Tribunal Dei asperiùs secum acturum, iusticiæ amussim ob oculos habeat oportet. Adhæc consideret se esse hominem, cui tantùm sit permissum, quantùm commissum atque creditum, sibique non solùm potestatem dicundi iuris datam, verùm etiam fidem habitam esse. Vt semper, non quod ipse velit, sed quid lex & religio cogitet, studiosus faciat, perpendatque se non so-
lùm

lum esse quando in subsellio iudicij, ad ferendum decretum consederit, sed etiam in Dei iudicis illius summi conspectu cuncta fieri, neque sibi quodcunque concupiuerit licere. cæterùm in consilio habere debet legem, religionem, æquitatem, fidem. procul autem amoueat inuidiam, metum, cupidatesque omnes, & sic mentis suæ conscientiam optimorum consiliorum atque factorum testem præseferat. non modoque in votis habeat, vt iudicet, sed magis vt bene iudicet.

3. † Quod si aliquid ambiguũ in causa mentẽ suam in proferendo remordeat, neque certò sciat, quale nam ius, in hac causa quã diiudicare debet, positũ sit, vt prudentiorem consulat, vel ad maiores eam deliberaturus, referat, aut omnino in alium iudicãdam reiiciat. Nec iniquè faciet, si vt suadet Hostiensis, ad superiorẽ quasi

consul-

consulturus causam remittat, ipsique id quod sibi in causa liquet interim exponat, rogitans, vt quod iustum fuerit, ipse statuat & pronunciet, & sic potestas fiet superiori remisso, rem quodammodo testis loco habere, & demùm ex probatis sententiam proferre. † Vel si iudex sciat reũ cõuen- 4.
tum esse obnoxium, & tamen actorũ fide innocens probatur, iam non suam conscientiã, qua vt priuatus mouetur, & falli interim possit, homo enim est, qui multis modis afficitur, sed quæ probata sunt, ipsum sequi conuenit, & reum absoluere quàm condemnare: melius enim est centũ noxios absoluere, quàm vnum insontem cõdemnare. Quodsi iudici suaderet conscientia, reum inculpatum esse innocentem, argumenta verò obnoxium esse culpæ per allegatas probationes conuincerent, atque o-

bligarent. Arbitratur Panormit. etiam in hunc locum benigniorem ſententiam cõcipi debere, & potiùs abſoluendum eſſe, quàm condemnandum: & tali diſtinctione, tot illæ diſputationes D D. opinionesq́ue di-
5. uerſæ conciliari poſſunt. † Inſuper Iudex ſententiã formatam, & emẽdatam apud ſe habere debet, in ſcriptiſq́ue proferre. d. l. 2. c. de ſent. ex peri-
6 reci: & poſtquam † protulit ſententiam, deſinit eſſe iudex, cùm functus ſit officio ſuo. l. iudex. ff. de re iudica-
7. ta, & ideo † nihil de facto poteſt addere, vel minuere, quod ipſius ſubſtantiam concernat, ſed tantùm quoad artificium Grammaticum, aut ad politiorẽ dictionis vſum ſpectare creditur, in locum ſcilicet vocabuli barbari, ſubſtituendo vocabulum aliquod terſius ac latinius. l. iudex. & l.
8. actorum. ff. de re iudica. † Ad ſen-

tentia-

tentiarum ſpecies, quod attinet duæ ſunt: alia interlocutoria, alia definitiua. † Sententia interloquutoria eſt 9.
ſententia ſemiplena, quæ profertur inter principium, & finem cauſæ, nõ ſuper principali, ſed emergentibus & incidentibus quæſtionibus, puta ſuper propoſitione capitali inſinuanda, aut dilatione danda, vel denegãda, & ſimilibus, principali cauſa durante: vel quando iudex de plano, aliquid inter partes non ſedens pro tribunali pronunciat, quòd non directè ſpectat ad intentatum principale negotium, & talem † poſt decimũ 10
diem reuocare ad partium conſenſum permittitur, Barth. in l. quod iuſsit. ff. de re iudica. niſi forte per eam interloquutoriam perimatur impetitio: vt exceptionem rei iudicatæ obſtare: reum ab inſtantia iudicij abſoluendum: ſe non poſſe cognoſce-

re in ea cauſa. &c. tunc non datur reuocationi hic locus. l. poſt ſententiam C. de ſent. & interloc. omn.
11 iud. † Sentētia definitiua dicitur, quā iudicialem vocamus ſic dicta, quod proceſſum finiat & terminet. Eaque ſic definitur: definitiua ſententia eſt definitio iudicialis, controuerſiis partium finem imponēs, per iudicis pronunciationem, quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit. l. 1. ff. de re iudica. & SS. lib: 1. art: 62. Et
12 quælibet † ſententia, ſex fere partibus conſtat, ita vt contineat nomen iudicis, nomina litigatorum, tenorem petitionis in iudicio factæ, ſubſtantiam proceſſus, litiſconteſtationem, partes fuiſſe præſentes, vel cōtumaciter alteram abſentem, poſtremò abſolutionem, vel condemnationem. Succinctius ea in praxi modernâ ſolent comprehendi, nomini-

bus litigatorum, & re ipsa tantùm expressis, nisi scriptum testimoniale exhibeatur partibus. Quoniam † verò iuxta status actionum & causarum feruntur sententiæ visum est, tam in reali quàm personali, conceptas formas decretorum apponere. † In a- 13
ctione reali vulgò huiuscemodi forma concipi debet.

In causa inter Zaleucum actorem ex vna, & Curoplatum reum conuentum, ex altera parte super fundo Seiano, controuersa, iudicium presens secundùm ea quę proposita sunt, & allegata, probataque, pronunciauit, & de facto pronunciat, prętactum fundum ad Zaleucum actorem pertinere,, & à Curoplato reo conuento illicitè detineri, actoriq́ue restituendum, ad quę & reum condemnauit, vnà cum litis expensis, taxatione sibi salua & reseruata. † Ad actionem in personam sic potest pronunciari. *In*

cauſâ ſuper centum florenis pecunię Polonic. ex mutuo petitis, inter Diurpaneum actorem ex vna, & Canabum reum conuentum, ex altera partibus, pronunciatum eſt, ad ea quę in actis ſunt deducta, atque probata, Canabum & ad ſolutionem eorum, in ſpacio trium quindenarum compellendum, ad quod & ipſum vnà cum litis expenſis iudicium pręſens condemnauit, taxatione ſibi ſalua permanente.
15 † Sed prolixum eſſet, & huic operi breuiuſculo inconcinnum, ſingularum actionum, ſingulas formas ſententiarum, hîc concipere & inculcare velle, & Athenis noctuas inferre: quod ſi in eo paſſu, quid ſimile deſideras, lege Hermanum, qui ſingulis libellis ſingulas ſententiarũ formulas adiecit. Noſtro id cum non ſit inſtituto propoſitum, vel attigiſſe, ſatis fuit.
16 † Inoleuit vſus quidam veſanus & ſtolidus, ut in ſententiis pro-

ferēdis, ſemper ferè iudices cauſam iuſtificatoriam (puta. ex quo non ſufficientia documenta &c.) attexant paſsim. ſufficit autem, vt iudex in ſua ſententia damnet, abſoluat, confirmet, aut infirmet, neque illis annexionibus proceſſum incommodet. Tutior enim hæc via ſententiādi prudentibus viſa eſt, vt cauſa in ſententiis non exprimatur, idq́ue regulari obſeruatione, nam tunc ſuperior quiſque iudex, ex iis quæ in prioribus actis allegantur, rationem colliget longè fortaſsis aliam, quàm ille inferior penes ſuam iuſtificantem nauci cauſam, reſtringens ſententiam. proq́ue ſua ſolertia ſecus pronunciare poterit. proindeq́ue pronunciatum hoc vt prudentius: ita ſagaciori ex cauſa, quam ob oculos habuiſſe intelligetur decernere poterit, qui ex actis & probatis edicet, quamuis cauſa non ſit

expreſſa, l. hæc ſententia. C. de ſent.
17 quæ ſine cert. quan. prof. † Secus in criminalibus, vbi ſemper requiritur, vt cauſæ iuſtificantes ſententiam, in definitiuis decretis, explicētur. Idem etiam fit in ciuilibus quibuſdam cauſis, in quêis expreſsio cauſarū in ſentētiis omnino requiritur, quales ſunt: vt dum reus conuentus rem pro qua pulſatur, non poſsidet, & ob id liberatur, aut abſoluitur, ne deinceps iudicatum prætexat, c. aduerſario. De except. vel ſi propter inſtātiæ decurſum tempus, à iudicij obſeruatione reus abſoluatur, l. properandum, § illo. C. de iudiciis. Vel vbi victus in expenſis non damnatur, quia hoc eſt, à iuris cōmunis ordine regulari quodammodo recedere, cōuenit cauſam adiicere, cur id fiat. quamuis & cauſa ipſa applicari expreſſè non ſoleat, ſed dicitur: ex cauſa iudicem mouente,

ac sumptus illos vltrò citroque compensari, § oportet. Authent. De iudiciis. Collat. 6. & in nonnullis similibus. Iam † verò omnis sententia, à 18
qua de iure Saxonico, in instanti, iudicio durante, post pronunciationem non est appellatum, facit ius inter partes, inter quas lata est, & transit in rē iudicatam, SS. l.2. ar.6. & Iur. Munic. ar. 10. 11. 13. Et res iudicata pro theoremate æuiterno accipitur, l. res iudicata. ff. de regul. iuris. † Ad extre- 19
mum sciendum est, quod sententiam quam iudex ordinarius tulit, eandem exequi tenetur, nisi per appellationē suspendatur. Si autem ab ea fuerit appellatum, differtur exequutio, donec à iudice ad quem, quæstio decidatur. c. pastoralis, § præterea. ext. de off. deleg.



PROCESSVS
Iudiciarij Pragmatici

Pars III. Titvlvs I.

De Appellationibus.

Summæ.

1. *Sentiens se quis grauatum sententiâ latâ, ab ea appellet.*

2. *Iudicis iniquitas vel ignorantia prouocatione arguitur.*

3. *Appellatio quid sit.*

4. *Appellatio etiam de iure naturali est.*

5. *De iure Saxonico in instanti appellandum.*

6. *Nullus mutare debet consilium, in alterius iniuriam.*

7. *Iure Canonico & Ciuili decendium ad appellandum permittitur.*

8. *Praxis Curiæ Reg. de tempore insinuandæ prouocationis.*

9. *Appellatio alia iudicialis alia extraiudicialis.*

10. *Iudicialis quæ sit.*

11. *Extraiudicialis quomodo fiat.*

12. *Non semper appellatio admissibilis.*

Criminis

13. *Criminis accusatus non appellat.*

14. *Plena contumacia conuictus appellare nõ potest.*

15. *Ingerens se in vlteriorem processum non potest prosequi appellationem.*

16. *Ab arbitrorum sententia non appellatur.*

17. *Post tres pares sententias non solet appellari.*

18. *A sententia possessoria non datur appellari.*

19. *A manifesta iniusticia etiam in illicitis appellatur.*

20. *A taxa expensarum quando appellare licet.*

21. *Ab exequutione rei iudicatæ non est appellandum.*

22. *Ab exequutore quando prouocatur.*

23. *A supremo iudice non appellatur.*

24. *Item à Commissariis sex Ciuitatum.*

25. *A sententiis in rem iudicatam transeuntibus, item ab inualidis, non est opus appellato.*

26. *Ab interloquutoriis quando appellationi deferendum sit.*

27. *Appellatur regulariter à minore judice ad majorem.*

28. *In appellando intermedij judices non ommittantur.*

29. *Conſuetudines ciuitatum in appellando*

30. *A quibus judiciis ad jus ſupremum Teuthonicum prouocetur.*

31. *A judicio juris ſupremi quorſum appellatur.*

32. *Modus appellandi præſcribitur de forma juris Saxonici.*

33. *Scabini rotulum cauſæ clauſum ad jus ſupremum mittunt.*

34. *Forma literarum ad jus ſupremum legandarum.*

35. *In vlteriori die rotulo aſportato quid faciendum.*

36. *Norma literarum ad S. R. M. in appellando.*

37. *Ad Commiſſarios ſex Ciuitatum forma Epiſtolæ appellatoriæ.*

38. *Tempus proſequendi appellationem quod.*

39. *Effectus appellationis qui.*

40. *Pœna judicis appellationi interpoſitæ non deferentis*

41. *Contra judicem denegantem appellationem quomodo proceditur.*

42. *Et aliquando renunciatur, per litigantes, appellationi.*

43. *In termino appellationis non allegata allegare licet.*

44. *Exceptiones, à judice ad quem, quales recipiuntur.*

45. *Dilationibus in consistorio Principis nō datur locus.*

QVEMADMODVM in extremo rerum anfractu positi, ludo tesseræ indulgentes, aleam iacere, fortunamque fatigare solent, vt iuxta illā gnomam, aut regem, aut asinum sortiantur: spemq́ue aut victuri, aut vincendi in iactu aleæ collocant. Ita litigantes non contenti immòdicis dispendiis, in vno atque alio dicasterio, se suaq́ue bona exonerare, sed etiam causam suam apud alium superiorem iudicē appellatione quæsitum suffulcire, & fortasse non bene sartam reparare nituntur. Quare † sententiâ 1.
definitiuâ, aut vim definitiuæ interloquutoriæ habente per iudicem lata, quisquis grauari se existimat: ei appellare integrū est, tàm per se, quàm

per procuratorē ſuum, c. omnis op-
2. preſſus, 2. q. 6. vt per † interpoſitam
appellationem ad ſuperiorem iudi-
cem, vel iniquitas, vel imperitia iu-
dicis à quo, corrigatur. teſte Vlpiano,
3. In l. 1. ff. de appel. † Eſt autem appel-
latio (quæ & increpatio Saxonibus
vocatur) iuxta Azonem, à minori iu-
dice per inuocationem maioris iudi-
cis, prætextu iniquitatis primæ latæ
ſententiæ receſsio. in l. præfecti. ff. de
minori. vel eſt ab inferiori iudice gra
4. datim facta prouocatio, † cumque ſit
defenſionis quidam modus, de iure
etiam naturali eſſe diſpicitur, natura
enim defenſionem omnibus æquam
indulget. c. cum ſpeciali, & c. dile-
5. ct. de appellat. Diſpoſitio † autem
iuris Saxonici tenet appellationem
in inſtanti durante videlicet iudicio
interponendam eſſe, lib: 2. ar. 6. &
cauſa ibi aſsignatur, quia apud Saxo-

nes interrogantur partes, an ſenten-
tiam ſuſcipiant nec ne, & ſi conſen-
ſerint, eandem poſthac increpare nõ
poſſunt, vt in l. impetrata. ff. de reg.
iur: nemo enim poteſt † mutare con 6.
ſilium ſuum in alterius iniuriam. l. ne-
mo. ff. de reg. iuris. De † iure autem 7.
Canonico & Ciuili decendii tempus
eſt ad interponendam à ſententia la-
tâ prouocationem. extra. de re iudi-
cat. & in Auth. de appellat. coll. 4.
Praxis † autẽ Curiæ Regalis hoc de- 8.
cendium appellationis interponen-
dæ, applicuit etiam eſſe vſurpandum
in Regno. nempe vt quamuis in con-
tinenti viua voce appellatio fieri de
beat, inſinuari tamen intra decem di-
es poteſt, prout inter Schopmannũ
ciuem Rigeñ. & magiſtratum ciuita-
tis eiuſdem, Anno 96. decreuerat. E-
nimuerò † appellatio dupliciter exer- 9.
cetur de iure, aut in iudicio, aut ex-

tra iudicium, proinde alia eſt iudicialis, quæ merè dicitur appellatio, alia extraiudicialis, vocaturque propriè
10. prouocatio. † iudicialisque illa eſt, quando grauatus vel oppreſſus in iudicio coràm appellat.
11 † Extraiudicialis autẽ, dum iudicis à quo appellatio interponenda ſit, eo tẽpore copia haberi nõ poteſt, ſi nimirũ eſt abſens iudex, vel met⁹ aut ſuſpicionis cauſa, non putat ſibi grauatus tutũ corã appellare, extunc coram alio iudice, notario, teſtibus, aliiſque perſonis honeſtis, proteſtetur ſe eam ſententiam quam hic iudex contra ſe tulit grauatum, & incommodatum eſſe, pro iudicato ſuſcipere renuere, ab eaque ſuperiorem iudicem prouocare, prouocationemque hanc proſequi contendere. c. final. ext. de appellat. vbi innuitur quod metus vel ſuſpicio debeat eſſe notabilis ad talem extraiu-

dicialem appellationem formandam causaque alia quæpiam non sit leuis sed legittima. Et tales prouocationes extraordinariæ in Regno quoq; seruantur, quemadmodum inter Iacobum Trunck & Zachariam Hártman ciues Gedanenses, anni 91. in Curia Regni pronunciatum esse liquet. Non † semper autem, nec om- 12
nibus, nec à quauis etiam sententia appellare licet. † Nam criminis ma- 13
nifesti conuicti, vel proprium scelus confessi, appellare non possunt, l. obseruare. C. quorum appellat. non recipiantur. & cap: cùm sit Romana. Ext. de appellat. Ius quoque Saxonicum, lib:2. art:12. tradit eum qui accusatur criminaliter in atroci scelere cōprehensus est, appellandi potestatem non habere. Cui iuri in talibus disquirēdis Curia Reg. adstipulatur.
Appellare † item illi non est integrū, 14

qui cum plena contumacia conuictus & damnatus fuit. l. ex consensu. § eum qui. vbi Bart. ff. de iudiciis.
15 Neque † item appellare potest, qui post condemnationem vel ordinationem, à iudice petiit tempus procedendi, sententiam complendi, soluẽdi, ant simile quidpiam peragendi. l. ad solutionem. C. de re iudica.
16 Item ab † arbitrorum sententia non appellatur, quæ quoniam propriè sententia non est, neque actionem iudicati parit, sed in ea ob metũ pænæ inuicem promissæ à placitis nõ receditur. l. 1. vbi Bald. & DD. C. de
17 recept. arbitr. Item † ampliùs non vacat appellare, dum diuersorum subselliorum iudices, tres pares sententias super eadẽ lite protulerunt, summa enim iniuria videtur prętexi, dum tot iudices imperitiæ vel iniquitatis per increpationem sententiæ insimu-

lentur

lentur, tum vt ne litium aliquis non ſit finis. l.ſingulari. C. ne liceat in vna. quod & praxis Curiæ paſsim retinet.
Similiter ſententia † ſuper poſſeſsione 18
reſtituenda, lata, regulariter non patitur appellationem, cum petitorium adhuc in ſaluo permaneat, per quod rẽ ipſam legitimè aſſequi datur, cũ enim nihil tã ſit contrariũ (vt ait Tullius) atque vim & metum alicui inferre, & alterius rem contempta iuris religione occupare, quam ideo reſtituere cogitur, non expectato appellationis ſubſidio: aliquando etiam talis ob commiſſum ſpolium, iure petendi priuatur. l. vbi Bart. & DD. C. ſi
de momen. poſſeſſ. app. † Niſi aper- 19
tum grauamen & manifeſtam iniuſticiam ſententia talis præſeferat, ne ex iure ſubuerſo ius ipſum quæratur. Bart. in l. 2. ff. de appell. recip. A ta-
xatione † quoq; expenſarum non ap- 20

pellatur, niſi modum expenſarum excedat iudex. moderatio enim expenſarum acceſſorium eſt ſententiæ, in principali negotio latæ. l. omnem. vbi Bart. C. vbi prouoc. non eſt ne-
21 ceſſ. Proinde † nec ab exequutione prouocandum conſequens eſt, ea enim ſententiam latam ſequitur, fruſtra autem proferretur, niſi debitum effectum ſortiretur. l. ab exequutione. C. quorum appellation. non re-
22 cip. Niſi † item ab exequutore legittimus modus tranſiliretur, quando videlicet exceptiones, vti eſt nullitatis cæteræq́ue peremptoriæ non recipiuntur, aut exequutio præcipitanter exercetur, ante tempuſq́ue iuris præſumitur. l. ab exequutione. DD. hic.
23 ff. de appell. Item † non appellatur à ſupremo Iudice, videlicet Rege, qui in ſua ditione in temporalibus nullũ ſuperiorem agnoſcit. arg. l. ff. quib.

appell.

appell. non licet. Item † á Commis- 24
sariis sex Ciuitatũ, priuilegiati enim
sunt hoc in passu. Non † appellatur 25
etiam à sententiis illis, quæ in rem iu-
dicatam transierunt vltra annum &
diem. neque à sentẽtiis per se nullis.
nam quid est opus appellato aut re-
formato in eo quod est nihil? l. si cõ-
stat. & l. si expres. ff. de appellat. Nul-
la autem sententia illa dicitur, quæ
contra rigorem iuris expressi atq; in-
dubitati est lata, † & si cõtinet expres-
sum iuris errorem. SS. lib: 2. ar. 11. gl.
& talis sententia etiam deserta appel-
latione, minimè per præscriptionem
confirmatur. l. cum inter te. C. quan
do prouoc. non est necesse. l. 1. ff. quę
sententiæ sine appellat. rescin. Ne-
que † etiam appellatur ab interloquu 26
toriis, quæ meram definitiuam non
sapiunt, nam has iudex corrigere, re-
uocare, & retractare potest. l. quod

iussit. ff. de re iudica. Nisi fortasse talis sit interloquutoria, in qua grauamen infertur, quod per sententiã definitiuam reparari nõ poterit, eam Bald. in Margarita sua appellationẽ à processu cognominat, quasi causa nec dum finita periculo exponaris, nisi enim sic grauatus, non est vt ante causę definitionẽ per leges audiaris.
27 l. 2. ff. de appel. recip. † Regulariter autẽ appellatio interponitur à iudice minore ad maiorẽ, nimirum ad eum qui in gradu proximus, superior est ei à quo appellatur. l. imperatores. ff. de appellat. & SS. lib: 2. ar. 12. non e-
28 nim † intermedios iudices omittere fas est in appellando, ne iurisdictiones confundantur. per l. nemo. C. de iur. om. iudic. Quod & praxis Curiæ obseruatum continuo retinet. Sed vbi secus consuetudo diuturna locorũ inoleuit, tenaciter id ex vsu proueni-

re iura suadent seruandum. c. Romana. De appellat. in 6. † Qualem 29
consuetudinem in Regno pleræq; ciuitates, vel immunitatibus priuilegiorum nixæ, vel diuturno vsu fretæ retinēt, vt Cracouieñ. Ploceñ. &c. dum directè ad Regem ommissis mediis iudicibus, appellare solent: Cracouię tamen id nonnisi à sententia Consulum currit: nam † à iudicio Scabi- 30
nali, prout & in illis fermè omnib⁹ ciuitatibus, oppidis, & pagis adseruatur, quæ mero iuri Magdeburgensi, iudicia sua adstrinxerunt (nam secus quæ Culmensis iuris articulos intermiscent Saxonico, vt sunt omnes planè ciuitates in Mazouia, vel eæ præcipuè, quæ ad Istulam sunt sitæ, hæ enim iuris talis supremi Theutonici authoritatē iurisdictionēq; non agnoscunt) ad ius supremum Theutonicum prouinciale in Castro Cracoui-

ensi, per piæ recordationis Cazimirum magnum Regem Poloniæ locatum, appellationes omnes, tanquam ad intermedium iudicium deuoluuntur.
31 † Tandem à iudicio iuris supremi pro instantia vltima ad Regiã Maiestatem, vel Commissarios sex ciuitatum perpetuos & priuilegiatos prouocatio fit, iuxta priuilegia desuper concessa.
32 Hic † porrò modus appellationis interponendæ de iuris Saxonici dispositione seruari solet. Inprimis post latam sententiam, pars quæ grauatã se esse persenserit, petere poterit licentiam à iudice, ad abscedendum & consultandum, super sententia acceptãda vel increpanda, quam tamdiu obtinebit, donec ad instantiam alterius aduersæ partis de mandato iudicis, per præconem vel apparitorem tribus vicibus aduocetur, & interrogetur, an sententiam contra

se la-

ſe latam pro iure ſuſcipiet nec ne?
quodſi à iudicio diſceſſerit, neq; ap-
pellationem ſuam viua voce inſinua-
uerit, neque reuerterit iudicio durã-
te, ſententia illa robur habebit; nec
in poſterum locus appellandi dabi-
tur. Quodſi ad iudicium regreſſus
fuerit, vel etiam non recedendo, poſt
latam ſententiam appellare conten-
derit, dicet ſe ea ſententia tanquam
minùs iuri vel æquitati conſona gra-
uatum, ab eaq́ue ſuperiorem iudicẽ
appellare, petetq́ue ei appellationi
per iudicem, à quo prouocat deferri,
per ſententiamq́ue decerni, an dies
vlterior proſequendi appellationem
& importandi ſententiam ex iure ſu-
premo (dum ad hoc ſit appellatio) ſibi
ſequi & admitti debeat? decernetur-
q́ue ſibi admitti & ſequi debere
de forma iuris. † Peræque Scabi- 33
ni rotulum ſigillo ſuo clauſum, cum

toto processu causæ, omnibusq́ue & singulis documentis partium litigantium, & sententia desuper promulgata, ad ius supremum per nuncium suum tempestiuè transmittent, cum literis taliter cõfectis. SS. lib. 2. ar. 2. & Iu
34 re Munic. ar. 74. † *Famatis ac prudentibus Dominis, Aduocato prouinciali, & Scabinis iuris supremi Theutonici Magdeburgensis, Castri Cracouiensis, amicis charissimis & honorandis. Prudentes ac honorati Domini amici honorandi. Noueritis causam in judicio nostro fuisse ventilatam, inter famatos conciues nostros* A. B. *ex una, &* C. D. *ex altera partibus, occasione mutui debiti vel hereditatis &c. (hic substantialis essentia causę interponatur) in qua partiũ una dictus* C. D. *grauatum se esse allegans, sententiam nostram pro jure acceptare noluit, sed ab ea ad jus vestrum supremum appellauit. Mittimus itaq vestris D. D.*

per nun.

per nuncium nimirum totius ejuſmodi cauſę proceſſum ſigillo noſtro clauſum, cum omnibus & ſingulis documentis partium, ſententiaq́ noſtra deſuper lata, vt veſtrę D D. pro officio ſuo nos certiores reddant, num ſecundum juris formam inter prefatas partes litigantes ſententiam inuenimus & tulimus, vel quid ſit iuris. Datum à prolatione, ſententię die tali. &c.

Rotulum † à ſupremo iure in vlterio- 35
ri die aſportatū, aperiri in loco iudicii Scabinalis debet, præſente vtraq; partium. Quodſi alterutra pro termino diei vlterioris non ſtiterit, altera comparens ſiue in damnum, ſiue in cōmodum eius ſententia in rotulo contineatur, petet aperiri ſentētiam, & quando in partem ſuam eſt lata, exequutioni demandari: vel ſi in damnum comparentis prolata fuit, & ille qui abſens eſt, pro commodo ſuo,

nec per se, nec per plenipotentem suum acceptare non curat, vel postea legali impedimento illato, legittimè se absuisse non comprobet, ius perdit suum, quia ius nemini ingrato fruendum permittitur, & ob ingratitudinem à iure suo propulsatur. l. nemo. ff. de regulis iuris. SS. lib. 1. art. 66. & iur. Mun. art. 11. Quod si vtraque pars pro termino diei vlterioris cõparuerit, ad instantiam earum de mandato iudicis per Notarium ciuitatis aperiri debet sententia, & coràm publicè legi, quam nemo litigantium increpauerit, ius faciet inter partes. Si verò is cõtra quem lata est sententia grauatum se intellexerit, appellabit vel ad Regiam Maiestatem, vel ad Commissarios sex ciuitatum: si ad Regem, taliter scriptę literæ cum Rotulo transmittuntur:

36 † *Serenissimo ac inuictissimo Principi*

& Domino, Domino Sigismundo III.
Dei gratia Regi Polonię magno Duci
Lithuanię, Russię, Prussię, Mazouię,
Samogitię, Liuonięq́; nec non Suecorum,
Gottorum, Vandalorumq́; hereditario
REGI. Serenissime ac inuictissime Rex
Domine, Domine clementissime, post hu-
millimorum obsequiorum nostrorum ac
subiectionis nostrę accuratissimam com-
mendationem. Cùm causa inter famatum
L. ab una, & O. partibus ex altera, occa-
sione A B C. *per appellationem ad exa-*
men juris supremi Theutonici Magdebur-
gensis castri Crac. deuoluta ac tandem in
termino diei ulterioris sex septimanarum
ejusdem juris supremi sententia coram
iudicio nostro lecta fuisset, eandem, prę di-
ctus N. grauatum se esse asserens pro ju-
re non suscepit, verùm ad S. M. V. R.
appellauit, cui appellationi nos reueren-
ter deferentes, eandem causam ad audi-
entiam V.S.R.M. tanquam Dominum

noſtrum clementiſsimum, & iudicem ſuperiorem cum pręſentibus literis noſtris, & Rotulo totius eiusdem causę in vtroq; iudicio agitatę remiſimus. His nos gratię S.M.V.R. humillimè commendamus. In pręmiſsorum fidem ſigillo noſtro pręſentes roborauimus. Actum & Datum N.N. Die. Anno. etc. eiuſdem S.R.M. V. humillimi ſubditi & obſequentiſſ. ſeruitores. Scabini ciuitat. N.

37 Ad † Commiſſarios autem ſex ciuitatum dum appellatur, tales literæ concinnari ſolent: *Spectabilibus Dominis ſex Ciuitatum Conſulibus, Commiſſarijs priuilegiatis, Dominis & amicis obſeruan: Spectabiles Domini, amici chariſsimi & honorandi, ſalutem ac fęlicitatem. Cum cauſa inter* A. B. *ab vna, &* C. D. *partes ab altera, occaſione* E. F. G. *per appellationem ad ius ſupremum Teuthonicum Magdeburgenſe Caſtri Cracouien: eſſet deuoluta, ac tan-*

dem in termino diei vlterioris sex se-
ptimanarum, eiusdem iuris supremi sen-
tentia, coram iudicio nostro lecta fuis-
set, confirmans approbansque, seu (si ita
erit) retractans sententiam nostram; eam
prędictus A. B. grauatum se esse asserens
pro jure non suscepit, verùm ab ea ad
D. D. vestras vtpote priuilegiatos Com-
missarios sex ciuitatũ appellauit, cui qui-
dem appellationi nos vti par est deferen-
tes, eam ipsam causam, vnà cum Rotulo
ad tribunal D. D. vestrarum remisimus.
Datum die, anno &c. Scabini Ciui-
tatis N. Tempus † autem prosequēdi 38
appellationem de iure Saxonico est
sex septimanarum. lib. 2. art. 12. Iure
autem ciuili est annus, & ex causa bi-
ennium. vt in Auth. ei qui. C. de temp.
& reparat. appell. Et potiùs praxis
Curiæ sequuitur in eo passu ius ciuile,
quemadmodum ibidem inter Stire-
gulski & Fesniadi ciuem Lublineñ.

Varsouiæ anno 96. decisum fuit. Appellationis autem ad jus supremum Teuthonicũ interpositæ prosequẽdę, & rotuli reportandi, dies vlterior sex septimarum interuallo clauditur, vel etiam breuiore spacio, si partes sibi id reformârint. Quando autem appellatio fit ad Commissarios sex Ciuitatum, tempus prosequendi eam, durat ad primam cõgregationẽ & sessionẽ eorum, in prætorio Cracouiensi. ita praxis consuetudinaria retinet. Enim
39 uerò effectus † appellationis is est, vt ea pendente nihil prorsus in illa causa sit innouandum: sed omnia in eodem statu permaneant, in quo erãt tempore appellationis emanatæ. L. vnica. ff. nihil inno. appel. pen. & S S. lib. 2. art. 11. Hinc appellatione facta iudicium cessat, in eaipsa actione pro qua prouocatum est: nec vltra iudex in negocio procedere debet,

ſed ſtandum eſt appellationi. vt in Authen.de iudic. vt nullatenus.Coll. 6. Vnde † iudex appellationi à 40
temeraria & peruicaci ſua ſentētia nō deferēs,vel facta appellatione,vlterius in negocio procedens in ciuilibus cauſis priuatur officio : in criminalibus,ſi ex iudicato ſupplicium capitis eſt ſumptum, iudici cedit in vitam. l. 1. C. de pæna iudic. qui malè iudica. & SS. lib: 2. ar. 12. & 13. † Alio-
quin ſi iudex appellationi deferre ab- 41
nuit,proteſtetur grauatus eo nomine, tam contra iudicem, quàm partem adhærentem, de proſequenda ſua appellatione,quam,citatis iudice & parte, apud iudicem, ad quem appellârat, legittimè intra fatalia proſequatur, ſic practicari conſueuit. Aliquãdo † etiam partes in cauſa per litigi-
um, multùm diuque inter ſe agita- 42
ta, demum etiam per appellatio-

nem à sententiato interpositam, pertæsæ diuturnitatis, vel aliam quamuis ob causam, renunciare solent appellationi. Quod fieri contingit, dum videlicet pactum de non prosequenda appellatione iniuerunt. SS. lib: 2. ar: 12. aut expressè: per verba specifica ipsam renunciationem declarantia: aut tacitè: nempe, vel per desertionẽ appellationis, vel cùm, coram iudice à quo, causam vlterius litigando pertractant. c. solicitudinem. Extr. de appell. iam verò hoc est notandũ, quòd in termino appellationis
43 non † allegata coram iudice, ad quẽ, allegare liberum est, ea conditione, quòd articulos quidem nouos, sed prioribus minimè contrarios proponere liceat. l. per hanc. C. de apellat. nouę tamen probationes per testium inductionem fieri non possunt. c. fi-
44 nali. De testibus. † Exceptiones au-

tem illæ omnes, quæ post litem contestatam sunt proponibiles, ritè in termino appellationis obiici possunt. l.
45 ita. C. de procurat. Insuper † id scias, in termino appellationis, præsertim in consistorio principis, dilationibus, tam actoris, quàm Rei locum non dari. per l. cùm à nobis. C. de dilat. Non enim ad cognitionem principis quidquam mittitur, quod plena instructione indigeat. l. 1. C. de relat.

TITVLVS II.

De exequutione rei iudicatæ.

Summæ.

1. *Res iudicata effectum suum sortiatur.*
2. *In iure exequutio iudicati maximè attenditur, ne irrita sint iudicia.*
3. *Exequutio competit iudici ordinario facienda.*
4. *Iudex exequutionis non cognoscat, sed exequatur causam.*

5. *Ad postulata iure vincentis exequutio exercetur.*

6. *Quid cadat in exequutionem.*

7. *Exequutio in principalem clientem non procuratorem extenditur.*

8. *Modus exequendi quis.*

9 *In realibus exequutio qualis.*

10. *Personalium actionum exequutio, quo ordine vrgeatur.*

11. *Supellex agriculturæ non transit in pignorandum sine rebus soli.*

12. *Debitor pignoribus se eximens, iurat, quòd auro, argento, & pecuniis careat.*

13. *Mobilibus deficientibus ad stabilia pignoranda itur.*

14. *Vltimum refugium pignorum fit ad iura debitoris.*

15. *Debitor carens pignoribus, carcere mancipandus venit.*

16. *Debitori carceribus destinato, creditor alimenta præstet.*

17. *Debitore pignora offerente, eorum taxa valorq; dispiciatur.*

18. *Pignus pro iudicato oblatum, si debito non æquipollet, vlteriùs proceditur.*

19. *Pignus debitum transcendens, residuum eius debitori conceditur.*

20. *In pignore custodiendo creditor quid præstet.*

21. *Creditor proprio nixu pignus detinens, vel ipsius periculum in se recipiens, tenetur in casu fortuito.*

22. *Casus fortuitus á creditore manifestissimè probetur.*

23. *In casu furti, vel incendij, creditor quomodo suam indemnitatem probat.*

24. *Iuris Ciuilis & Saxonici dispositiones de eo, dum pignore casu amisso, creditor petat creditum.*

25. *Pignus dicitur.* ⎧ *Prætorium.*
26. *aliud:* ⎨ *Conuentionale.*
27. ⎩ *Iudiciale.*

28. *In pignoribus distrahendis quis ordo inter creditores.*

29. *Praxis Curiæ de bonis debitoris distrahendis.*

30. *Portionem Geometricam non Physicam creditores pro quota debiti, capiunt in pignore distrahendo.*

31. *Creditores vt creditoribus, pignus per iudicatum possidentibus, exæquentur, quid facient.*

32. *Fraudationis cum debitore susceptum consilium, creditorem haud iuuat.*

33. *Pignora fructuoſa ipſis annuis fructibus eluuntur.*

34. *Fructus percepti ex pignore.*

35. *Pignus ſterile publicè diſtrahi poteſt per creditores, obdeſtinato debitore.*

36. *Pignoribus non extantibus perſonalis actio non tollitur.*

37. *Exequutio quando impugnari vel retardari poteſt.*

POST ſententiam inter partes, audita omni & diſcuſſa lite, pronunciatam, à qua vel non eſt appellatũ, vel per gradus prouocationum, à iudice ad quẽ, in cauſa eſt concluſum, ſententia quoque pedaneorum, intermediorum etiam iudicum approbata, aut retractata, in reíque iudicatæ veritatem deducta,
1. † ipſius actionis per iudicium difinitæ rigor, ad effectum adducendus eſt. l. penul. C. de exequu. rei iudicat. Fruſtra enim feruntur leges, fruſtra decreta, ſi debitum exequutionis effectum haud
2. conſequuntur. † quare ne in vicium

irritæ vanitatis iura impingerent, cũ summum & præcipuum sententiarũ finem & euentum sanxerunt leges, vt res quæ transit in iudicatum, exequutioni legittimæ comitteretur. per l.2. & tot. tit. C. de exequu. rei iudicat. & l. à Diuo Pio. ff. de re iudic. Iudici
autem † ordinario competit exequu- 3.
tio sententiæ, siue eam is tulerit, siue à superiori, ad quem prouocatum fuit, remissa sit pro exequendo; siue ab arbitro, vel delegato, aut Commissariis sit promulgata, semper iudex loci, cuius in territorio, vel iurisdictione bona sita sunt, exequitur iudicata. l. à Diuo Pio. ff. de re iudic. eiusque
partes † exequendi tantùm, non co- 4.
gnoscendi supererunt. l. si vt proponis. C. de exequu. rei iudic. † Atque 5.
in talem exequutionem descendere soletis, cui id competit, dum pars iureuincens suum implorat eo in passu

 offici-

officium, vel ſaltem ſummatim inſtituta in factum actione. l. actori C. de
6. reb. cred. Omne † autem cadit in exequutionē illud, de quo eſt condemnatus reus. l. qui reſtituere. ff. de rei vendic. vel ſi res illa controuerſa dari præſtarique nequit, eius æſtimatio. l. ſi longis. C. de exequut. rei iudic. Quodſi nec iſta præſtatur, bona condemnati apprehenduntur. l.
7. à diuo. ff. de re iudicat. † Enimuerò exequutio ſententiæ expediri debet in principalem atque eius bona, non verò in procuratorē ipſum, qui hanc cauſam ſuſceperat defenſandā. Niſi fortaſſe abſque mandato & procuratorio in ipſa cauſa præoccupauiſſet, eo enim caſu ſententiæ exequutio in talem procuratorem vibranda veniret, & non in condemnatum, per l. ſi ſe non obtulit. ff. de re iudic. Modus
8. † autem quo quiſpiam iure uictus ad

ſatisfaciendum rei iudicatę pertrahatur, hic eſt. In † realibus ſtatim fiat e- 9.
xequutio. § & ſi in rem actum. Inſtit. de officio iudicis. & hæc fiat in re ipſa per immiſionem iure uictoris, vel armata adhibita manu, ſi neceſſe ſit. l. qui reſtituere. ff. de rei vendic. vel ſi res haberi nequit in eius æſtimatione. l. antepen. C. de exeq. rei iudica.
In † perſonalibus verò, vt poſt ela- 10
pſum rei iudicatæ tempus, ſi non fiat ſolutio eius quod debetur, iudicis partes erunt, aliquem pro his conuictum authoritate ſua cogere, ad æs alienum numerandum, pro iudicatoque ſatiſfaciendum, quod ſi ſolutionem quæ debetur non præſtiterit, aut non ſit ſoluendo, recurrendum erit ad eius bona pignorãda. Et primum ad mobilia, quæ venundentur, & quorum
de precio ſatisfiat: res † tamẽ ad cul- 11
turam agri pertinentes, pignoris cau-

ſa non ſunt à poſſeſsionibus abſtrahendæ. l. pignorum. C. quæ res pign.
12 obl. non poſ. Sed † prius debitor iurare ſolet, antequam à vinculo debitorum pignoribus ſeſe explicare aggrediatur, quod auro, argento, & pe-
13 cuniis careat. † Quod ſi bona mouentia non ſuffecerint, ad immobilia itur, in quorum poſſeſsionem, creditor iudicis authoritate mittẽdus erit. l. à diuo. ff. de re iudic. & Iure Muni:
14 ar. 27. 29. Poſtremò † non extantibus etiam immobilibus, rebuſq; ſoli, ad iura demum debitoris actiua proceditur, atq; item in rem iudicatam conuertentur. l. vlt. l. 3. C. de exequ.
15 rei iudic. Iam † verò ſi talibus omnibus, tam mobilibus, quàm immobilibus bonis, iuribus etiam & nominibus, cæteriſque vadimoniis iureuictus careat, tam ex obſeruatione iuris Magdeburgeñ. vti videre eſt. SS.

lib: 3. art: 39. & iure Munic. art. 27. debitor in poteſtatem creditoris tradendus eſt, quem priuatis carceribus non mancipabit creditor, ſed in publica cuſtodia ſeruandum committat. l. vnica. C. de priu car. inhib.
Alimenta † autem obærato carceri- 16
bus deſtinato, creditor ſubminiſtrare tenetur, prout S. R. M. decretum promulgatum extat, inter Vilam & ciues Gedanen, anno 95. † Sin autē 17
debitor, pignoribus bonorum mobilium ab onere & rigore iudicati, contra creditorem, ſe tutatus fuerit, ea vel per iudicem, vel ex mandato eiuſdem, per homines gnaros quantitatis ipſius æſtimabuntur. præſertim ſi ſint pignora in mercibus exoticis, valorem ſuum non paſsim omnibus cognitum habentia. Iur. Munic. ar.
27. Sin † verò pignus oblatum rei iu- 18
dicatæ non æquipolleat, ſed vilitate

ſua quantitatem debiti releuare nequeat, debitor vlteriore pignoratione, aliiſq́ue iuridicis ſubſidiis ad ſatiſfactionem continuandam adigatur.
19 Si † porrò valor pignoris ſummã debiti tranſcendit, dũ diſtrahitur, debitori id reſiduum reddendum eſt. SS.
20 lib: 1. ar: 70. † Pignus verò creditor non ſecus atque ſuam propriam rem cuſtodire tenetur, alioquin de dolo, lata & leui culpa, nõn autem leuiſsima, multominùs de caſu fortuito actio ipſi dabitur. l. ſi cum venderet. ff. de pign. act. quia pignoris dominium ſiquidem debitorem concernit, regulariter quoque eius periculum ſuſtinere cogitur. l. pignus. C. de
21 pign. act. Niſi † fortè creditor pignus abſque licentia debitoris, propria authoritate detinuerit, eo enim caſu creditor & fortuitum caſum præſtabit. per l. qui ratiario. ff. de pign. act.

Vel ſi

Vel ſi etiam creditor periculum caſus fortuiti in ſe receperit. † Tenetur 22
tamẽ creditor caſum fortuitum probare manifeſtis probationibus, præſertim cum eſt talis caſus, qui citra eius culpam non præſumitur, vt furtum, & incendium. l. ſi creditor. C. de pign. act. † Accidit enim perſæpe 23
hos caſus obuenire culpa creditoris, quare furto re amiſſa, creditor probabit oportet, eum caſum ſine culpa ſua cõtigiſſe, videlicet per perſonam domeſticam ſibi ſubiectam. l. argentũ. ff. commodati. Incendium autem ſuffecerit probauiſſe, aliunde quàm domo ſua excitum. l. ſi quis fumo. ff. ad l. Aquiliam. Et † quãuis iure Ci- 24
uili cauetur creditorem, cuſtodia diligenti præmiſſa, pignore ex caſu fortuito amiſſo, poſſe nihilominus à debitore creditum petere. l. quæ fortuitis. C. de pig. act. Secus tamen ius

Saxonicum ſuadet, cui & praxis cō-
munis adſtipulatur, nempe vt pigno-
re perdito, citra tamen culpam cre-
ditoris, debitor ab impetitione pro
debito, amplius liberetur. SS. l. 3. art.
5. vbi gloſſa textum iuſtificat dicens:
cùm pignus vtriuſque gratia datur,
tàm debitoris, quo magis ſibi pecu-
nia credatur, quàm creditoris, vt eò
tutiùs creditum ſperare poſsit, per §
creditor. Inſtit. quib. mod. re cont.
obl. & eo caſu creditum petere ius
Ciuile non denegat. Textus verò ar-
ticuli dicti intelligitur, cùm non niſi
ſub vno reſpectu res oppignorata
conſtituitur creditori, nulla inter
ueniente obligatione debitoris. Me-
liùs autem in his ſtipulationibus
pignoraticiis conſultum habebitur,
ſi creditor cum debitore caſum for-
tuitum conditione aliqua ſibi refor-
mârint, ratione talis crediti petendi,

in toto enim iure generi derogatur per ſpeciem, & conditio ſuper appoſita, limitat omnia. l. in toto. ff. de regulis iur. l. quamuis cõſtat. C. de pign. tametſi periculoſior ſemper debitor hîc relinqueretur, dum creditori etiam aureos montes polliceri non recuſet, modo credito potiatur. Age
verò, aliud † dicitur Prætoriũ pignus, 25
in cuius poſſeſsionẽ cautionis loco, aut cuſtodiæ cauſâ, plerumq; authoritate magiſtratus mittuntur creditores. l. non eſt mir. ff. de pig. act. Aliud
pignus † conuentionale, quod à debi- 26
tore volente, ſecuritatis cauſa traditur. l. traditur ff. de pign.
† Alterum iu- 27
diciale, in cuius poſſeſsionem per decretum iudicis creditores mitti ſolẽt.
l. à diuo. ff. de reg. iuris. † In quibus 28
pignoribus capiendis & diſtrahendis, dum multi ſimul creditores concurrunt, quamuis iuxta diuerſas I C.

opini-

opiniones, variosque hac de re consertos iuris anfractus, detinentes cõuentionaliter pignus, iudicialiter apprehendentibus, & contra, præferri videantur: nam qui prior est tempore, potior esse iure dicitur. tot. tit. ff. & C. qui pot. in pign. hab. cui adstipulatur. l. diuersis. C. eodem. vbi dicit, quod dum diuersis temporibus, eadem res duobus iure pignoris est obligata, qui prior dato credito pignus accepit, nec illud extradere tenetur, nisi ipsi soluta fuerit quantitas debiti: hinc l. si decreto. C. eodem. dicit duobus de pignore contendentibus illum præualere iure, qui præuenit tempore. cui applaudit illa regula, quod vigilantibus ius Ciuile scriptum sit. l. pupillus. ff. quæ in fraudẽ credit. pigris siquidem & negligentibus iura non subueniunt. l. non enim neglig. ff. ex quib. cau. maior.

Alii illud hîc adducunt, duo vincula fortius ligant, quàm vnum. Auth. itaque. C. com. de succeſ. Alii occupantem prȩferendum aliis, quibus etiam ex eadem cauſa debetur, quòd conditio melior ſit occupantis. l. inter. ff. de iudicat. Quidam augurantur in pignore iudiciali æquam omnium creditorum conditionem eſſe, ducuntq́ue argumentum à prætorio pignore, vbi prior etiam miſſus in poſſeſsionem pignoris, non præfertur poſterioribus, omniumq́ue cauſa exæquatur. l. fin: C. de bon. auth. iud. poſsid. Sed iudiciale in prætorio pignore continetur. per l. 2. C. de prætor. pign. quare ſimilem rationē conuenire ipſis inferunt. Alii tenent & verius, videlicet quod creditores, qui ſunt eiuſdem tituli, puta ex legato vel contractu priores cum poſterioribus exæquantur, iuxta l. is cui. ff. vt in poſ-

29 ſeſs. legat. Prout † iudicium DD. Aſſeſſorum. Cur. Reg: in cauſa inter Pomorski & Kalowski decidit, ut bona debitoris diſtrahenda iure æquali, ad vtrumque creditorum prætactorum
30 pertinerent. Id † tamen non de æquali portione, ſed pro rata quota debiti, quotam proportionem quantitatiuam percipi debere, cenſendum
31 eſt. Conducens † autem tempus ad eam æquabilitatem petendam ſeruetur, nimirum biennium inter præſentes, quatuor anni inter abſentes, vt qui à creditoribus detentationem pignoris habentibus, in æquum ius admitti poſtulent, liquida & certa debita habeant, & iuxta iuſtam proportionem ſoluti percipiendi, iiſdem in litigium forenſe, pro poſsidendo pignore, in litem expendentibus, & illud idem per iuſiurandum comprobantibus, recompenſam faciant. l.

pro de-

pro debito. C.de bon. auth. iud.poſs.
Præterea † vt à tali competitione,pro 22
cul abſit ſuſceptum cum debitore
fraudationis conſilium, qui enim in
fraudem aliorum creditorum doloſè
contraheret è numero creditorum a-
mandatur. l. ait. prætor. ff. de priuil.
credit. Et † taliſmodi pignora, ſi an- 23
nuis fructibus redundent, vt ſunt præ
dia, vineæ, & id genus alia, fructus il-
li ipſi à creditore percepti, in ſummã
principalẽ retorquebuntur, eorum-
q́ue fructuum ex bonis pignoratis de-
bitoris delibatorum quantitas, in
quantitatẽ debiti cõputabitur, dum-
q́ue in æquum valorem tranſcende-
rit, creditum releuabitur, pignuſq́ue
ipſo iure liberabitur. l. 1. C. de diſtr.
pign. l. 1. & 2. C. de pign. act. Nec
enim † fructus percepti ex pignore, 24
lucro creditoris cedere debent, ſed
computari in ſortem, alioquin nefan-

diſsima & ſordiſsima vſurarum ſuperſtitio committeretur. quemadmodũ pulchrè Paulus de Caſt. in d. l. C. de pignor. act. diſſerit. Sed proch dolor, quãta macula inſedit inueterataque eſt in animis hominũ, vt talium Iudaicorũ certè fœnorũ conuulſiones, paſſim omnes ambiant, dũque in pignoribꝰ fructuoſis capiũdis pro re credita contrahunt, conditionem infernalẽ adiiciunt, ſcilicet non defalcando fructum pignorati, ad ſummam principalem.
35 † Enimuerò ſi pignus ſit ſterile, nullorumq́ue fructuum ferax, ex quibus creditor ſatisfactionem crediti ſui exprimat, eo caſu pignus publicè diſtrahendum veniet, illudq́ue præuia denunciatione facta debitori, ſi fortè pignus ſuum redimere vellet, per tres quindenas in loco publico venui exponetur, adhibitò etiam Apparitore, venditionem pignoris pu-

blican-

blicāte. Quodsi debitor talibus præmissis, exemptionē pignoris sui posthabuerit, pignus plus numeranti vendendum erit. Nullo autem emptore contingente, iudex exactis sex septimanis, pignus in satisfactionem debiti creditori tradet, & si illius valor quātitati debiti non respondeat ad vlteriorem pignorationem quidquid desiderabitur, procedetur. SS. lib: 1. ar. 70. & Iur. Mun. art. 64. † Cæterùm 36
pignoribus haud quaquam existentibus, personalis tamen actio non tollitur. l. aduersus. C. de act. & oblig.
Et † licèt tanta est rei iudicatæ autho- 37
ritas, vt in eius exequutione aliquib⁹ querimoniis iureuicti loc⁹ nusquā detur: permulti tamen casus offerri solent, quibus exequutionis rigor aut retardatur, aut omnino perimitur, vt si litigatores per exequutorem in æstimatione rerum grauentur, vel

ſi exequutio, ſupra iudicati tenorem, modum exceſſerit. l. ab exequut. C. quorum appel. non rec. Modus autem in exequendo multifariam exceditur, vt quia condemnatio eſt in 20. aureorum, victor litis iubeatur agrum poſsidere, qui vndetriginta aureorum valorem vel plus habet, quod & in quantitate accidit, puta, condemnatus es Titio dare 30. exequutor iubet, vt 40. vel 50. ſoluas. idem exceſſus cõmittitur in modo, ſi ante tempus præfixum deſignatumq; exequutio vrgeretur. l. ſi quis pon. C. de appel. His adde inualiditatem ſententiæ, S C. Velleianum, S C. Macedonianum, Nouationem, delegationem alterius debitoris, compenſationem, malam interpretationem ſententiæ, & alia perſimilia poſſe in termino exequutionis obiici. l. ſi mulier. ff. S C. Vellei. l. 2. ff. ad S C. Ma-

cedon. l. 4. § condemnatũ, vbi Bart. & gl. ff. de re iudic. l. fin C. de nouat. l. delegare. vbi DD. ff. de nouat. l. 1. & l. ideo ff. de compensat. & Barth. cum aliis in l. ab exequutore. ff. de appell.

TITVLVS III.

De damnis, interesse, & litium expensis.

Summæ.

1. *Victor litis non solùm iudicatum acquirit, sed interesse, & expensas.*
2. *Damna, interesse, litis expensæ, differunt.*
3. *Actio pro damnis, anno exacto, extinguitur.*

4.		*quod dicatur.*	
5.		*aliud est intrinsecum*	
6.		*aliud extrinsecum*	
7.		*aut iure actionis*	*petitur.*
8.	*Interesse*	*aut officio iudicis*	
9.		*dum petitur, probandum est.*	
10.		*conuentionale.*	
11.		*commune.*	
12.		*singulare.*	
13.	*Iuramentum*	*affectionis.*	
14.		*veritatis.*	

15. *Dispositio iuris Saxonici, de damni valore, per Sacramentum Rei, minuendo.*

16. *Litis expensæ definitiuam sequuntur.*

17. *Quæ impensæ transeant in quantitatem litis expensarum.*

18. *Litis expensæ iuramento probantur.*

19. *Litis expensas iudex prius moderatur.*

20. *Modus interloquendi pro litis expensis.*

21. *Expensæ, in processu non insinuatæ, non petuntur.*

22. *Iustam litigandi causam habens, litis expensas non refundit.*

23. *Litis expensas stipulans soluit, etiam habens iustam litigandi causam.*

24. *Condemnatus in contumaciam, luit expensas litis & interesse.*

1. VICTOR causæ victoriam † super cõdemnato in iure reportans, ad exequutionemq; finalem deduci deposcens, non solùm rei controuersæ quantitatem requirit, sed etiam damna, interesse, litiumque expensas per sententiam iudicantis sibi adiu-
2. dicari contendit. Et † quamuis hæc tria sub generali nomine damnifica-

tionis iniuriosæ comprehendantur, diuersas tamen acceptiones sortiuntur, & damnum dicitur quasi diminuens patrimonium. l. 3. ff. de damno infecto. & sic generaliùs: vel accipitur pro corruptione, & deterioratione rei, secundum gl. in l. qui occidit. ff. ad l. Aquiliam. & hoc specialiùs sumitur, citra amotionem rerum damnificatarum, illud verò cum amotione dicitur, veluti furtum, rapina. l. si seruus seruum. ff. ad l. Aquiliam.
Quæ † damna si quis actione iudiciaria, intra annum & diem persequi neglexerit, amplius nõ relinquitur ipsi locus ad agendum. SS. lib: 2. ar. 31. gl. 3.
Iam † verò interesse dicitur modò damnum emergens, modò lucrũ cessans, quod plerumque ex eo contingit, quia fit, quod fieri non debet, vel datur quod dari non debet, vel quod non fit, quod fieri debet, vel nõ 4.

datur, quod dari debet. l. ſtipulan. ff. de verb. oblig. & l. vnica. C. de ſentent. quæ pro eo quod inter. prof. Et † aliud eſt intrinſecum, quod rei cohæret, ab eaq́ue dependet, vbi precium rei, vel auctum, vel diminutum, vt ſi vinum emptum mihi non reddidiſti, quod aliâs redditum in tempore, maioris venderem. l. 1. C. de pe-
6. ric. & com. rei vend. † Aliud extrinſecum rei quidem non cohæret, ſed mora & negligentia alicuius, ſua die, non facientis, aut non dantis incuſatur, vt quia pecunia promiſſa, nō eſt ſoluta, equi aut boues cōmodati inedia confecti, &c. quod, cùm mea interſit, repetere poſſum. l. nummis. ff.
7. de in litem iurand. † Soletq́; intereſſe peti duplici modo, aut iure actionis, dum directè libello ſeu propoſitione inſinuata, peto id quod mea intereſt. v.g. Peto Titium ad ſcapham

mihi iuxta conuenta ædificandam condemnari: quod si facere detrectârit, in eo quod mea interest, in 100. florenis: nam rem prius tradi petimus, quod si non fiat, in fructibus & interesse, cessator condemnetur, quam si tradere nequiuerit, in locum rei extradendæ, id quod nostra interest, venit surrogandum, atque à nobis petendum iure actionis. l. 1. ff. de act. exempt. Aut † petitur interesse 8.
officio iudicis: si rei, pro qua agimus, illud interesse accedat, vt sunt fructus, partus. l. videamus. ff. de vsuris. idque ita intellige, dum in calce propositionis meæ, ratione rei controuersæ intentatæ, in casu, vbi id ius permittit, condemnationem quoque ad interesse, peto pro eo officium iudicis implorando. Atque † dum pe- 9.
timus interesse ad illud probandum tenemur, quod pro diuersa eius natu-

ra, diuerſis etiam modis fieri ſolet. Aliud eſt conuentionale, aliud com-
10 mune, aliud ſingulare. † Conuentionale dicitur, quantitas, partium conuentione, taxata, quæ propriè pæna dicitur, vbi quantitas ſuccedit in locum eius, quod fieri debuit, & dicitur intereſſe. § fin. Inſtit. de verb. oblig. & id per inſtrumenta vel teſtes
11 probabitur. † Cõmune dicitur, quod communiter ab omnibus æſtimatur, quodq́ue apud omnes illo tempore & loco, vnum valorem capeſſat. l. precia rerum. ff. ad l. Falcid. & ſi ſit immobilis res, probatur teſtibus: ex tali videlicet fundo, in ſingulos annos, tantum fructum cõmuniter colligi conſuetum, quod etiam ex confinibus eiuſdem precii fundis colligi poſsit. l. ſi quos C. reſcind. vend. Si mobilis res ſit, veluti tritici laſtam Gedani, aut vini Cadum Cra-

couiæ 60. floren. hoc & hoc anno cõmuniter venisse deponent. Bald. in d. l. precia rerum. † Singulare verò in- 12
teresse, dum testibus probari vix possit, iuramento aut affectionis, aut veritatis probamus, † affectionis, vt si 13
codicem meum 10. florenos valentẽ, mihi tempore longo lectitatum, annotatumq́; obeliscis & apostillis mea manu propria, cõmodato dederim, & eum perdidisti: & quia mihi is liber ab antiquo charus extitit, longiq́ue temporis vsu & memoria cõmendatissimus, is communi æstimatione non censebitur, sed singulari, propter animi mei affectionem, quam erga illum codicem habui: ad quam æstimationem probandam, iudex defert mihi iusiurandum in litem, quod est affectionis, vt quia ille codex ex communi æstimatione valuit florenis 10. licebit mihi eo moderamine de-

ferri iuramentum, vt in 20. vſque florenos codicis illius, adeoque litis, æſtimationem, medio iureiurando faciam. In talibus tamen iuramentis affectionis, æſtimatio duplũ non debet excedere. l. 1. C. de ſent. quæ pro
14 eo quod inter. prof. † Veritatis iuramentũ in litem præſtamus, dum probare contendimus, quanti res in rei veritate, ſecundùm communem æſtimationem, non ſingularem affectionem, valebat. l. cùm furti. & l. in actionibus. ff. de in lit. iuran. Alioquin probatio intereſſe veritatis, per teſtes etiam fieri poteſt. ſecun. Cyn. & D.D. in d. l. vtpotè ſi pecunia iuxta promiſſum certa die non eſt ſoluta, cogebatur creditor pignora ſub vſuris dare, aut res proprias viliore precio venundare, aut merces cariùs cõparare, quàm ſi pecuniã illam tunc numeratam recepiſſet. Aut quia lu-

crũ, quod ex pecunia illa facere posset, decessit, & qui interesse tale petit, debet illud pro veritate probare. l. 2. l. centum Capuæ. ff. de eo quod certo loco. De iure † verò Saxonico 15
actor damnum ad certam summã æstimat, quam damnificans seu reus persoluere tenetur, nisi præstito iuramento æstimatam summam minuere velit. SS. lib: 3. art: 47. Quod tamen sobriè est intelligendum, nam hæc minutio valoris per iuramentum cõuenti, non nisi in casu violentiæ obtinet, quando videlicet ex delicto rei petitur damnum, secus, in interesse petẽdo, actori legittimus modus probandi relinquitur, ita Wesenb. par: 2. const. 30. nisi etiam (sed hoc arbitrio iudicis potiùs relinquendum censeatur) res, pro qua vertitur actio, habeat ęstimationem in iure Saxonico peculiariter pręscriptam. vt gl. d. ar. Res

autem à iure æstimatæ habentur in textu lib: 3. art: 51. & aliis. sed dum hîc interesse meminimus, illi malè fe-riati fœneratores necquidquam arbi-trentur, hîc à nobis mentionem fieri illius meri Iudaici interesse, quod ex abusu, ad agnominationem sordida-rum vsurarum morosè retorserunt, præsertim illarum lucratiuarũ, ex co-modatis & mutuationibus (quæ gra-tuita esse debent. l. fin. ff. de cond. ob tur. cau.) contra ius Diuinũ, Gen-tium, & Ciuile, corradi solitarum.
16 Litium † expensæ sequi solent regu-lariter sententiam definitiuam, in il-lisq; consequenter venit victus vi-ctori condemnandus. l. properan. C. de iudicijs. quod ideo fit, vt per-uicax effrænisq; temerè litigatorum proteruia coërceatur. per text. §. 1. Instit. de pæna tem. litig. Et hæ item litis expensæ sub damni appellatione

conti-

continentur, nam qui eas facit, occasione alterius, patrimonium remq́; ſuam minuit. ut Bald. in l. terminato. C. de fruct. & lit. exp. † Illa autem tantum dispendia in expenſarum litis 17
quantitatem ſubeunt, quæ circa litem neceſſariò facta ſunt, puta honoraria aduocatorum & ferendariorum, ſportulæ iudicum, ſalaria notariorum pro conficiendis inſtrumentis aut redimendis proceſsibus, cauſæ immediatè deſeruientibus. l. ſancimus. C. de iudicijs. verùm & referuntur huc, pro viatico expoſiti edendo & biben, do conducentes ſumptus, dum quis litem ſuam proſequuturus peregrè proficiſcitur. l. eum qui. ff. iudicijs.
† Porrò cum in talibus probandis dif 18
ficilima ſit probatio, iuramento actoris in ipſis liquidandis ſtatur. l. properan. C. de iudicijs. † Ne tamen 19
victor in immenſum iuret, iudex pro

ſua au-

ſua authoritate & ſinceritate ſecundùm cauſarum & perſonarum circũſtantias;eiuſmodi expenſas iuſtè & fideliter moderabitur, quam moderationem præexiſtentem petitor impenſarum iureiurando approbabit, quòd in litem non minus inſumpſerit: & quanti iurabitur,tanti reus condemnandus erit. per. auth: poſt iuſiurand. C.de iudic. l.videamus. ff. de
20 in lit. iur. † Quare talis ferè modus interloquendi ratione litis expenſarum præſcribi ſolet. Expenſas in hac cauſa, quas iureuincens contra Seium fecit, eſſe taxatas moderatas & in iure decretas. Si Actius iurârit ſe 30. florenos & 12.groſſos impenſarum nomine, plus & non minus inſumpſiſſe, Titium eos poſt pręſtitum iureuictoris iuramentum,per quindenam ſoluere teneri, decreuit præſens iu-
21 dicium. † Et quæ expenſæ litis in

proceſ-

processu non sunt petitæ, vel de ijs non sit protestatum, in condemnationem eas non venire dicit Barth. & Alex. in l. 4. § hoc autem iudicium. ff. de dam. infec. Hinc is qui recepit sortem litigiosam, iudicatoq; est contentus, sine protestatione aut petitione expensarum litis, censetur illas remittere, eisdemq; renunciare. arg. l. fin. ff. de eo quod cert. loc. Porrò
qui † iustam litigandi causam habuit, 22
extra omnem temeritatem atque calumniam constituitur, cuius intuitu victus, huic pænæ non subiacebit, vt litis expensas victori refundere cogatur. l. qui solidum. ff. de legatis.
Quodsi † expensæ ex conuentione 23
debeantur, quia instrumento aliisué documẽtis probabitur, scilicet quod stipulatio sit facta, vt restituatur vel tradatur aliquid, cum omnibus sumptibus, tunc neq; iusta litigandi cau-

sa superatum eximet, sed pafsim eos resarcire tenetur, per ius quoque actionis. de quo est insignis glos. in l. si similiter. § si rem. in ver. fortafsis. ff. de
24 legatis. Item † si reus ob contumaciam causa cadit, eo casu non solùm litis expensas, sed etiam damna, vnà cum æstimatione rei, victori repetere integrum erit. l. ff. de alien: iud. mu. ca. fact.

TITVLVS IV.

De Iniurijs.

Summæ.

1. *Continuantur dicenda dictis.*
2. *Propositio contexitur conferendorum.*
3. *Iniuria definitur.*
4. *Iniuria distinguitur, & alia est realis.*
5. *Iniuria alia verbalis, & quomodo fiat.*
6. *Pro iniuria agitur, vel criminaliter, vel ciuiliter.*
7. *Ciuiliter quando agitur.*
8. *Criminaliter dum agitur, quid.*

9. *Agens vna actione, ad aliam non recurrat.*

10. *Iniuria diuersæ, diuersimodè vindicantur.*

11. *Atrox iniuria quomodo pensatur.*

12. *Ius Saxon. leuibus iniurijs quam pœnam præfigit.*

13. *Vulnera duellaria quæ dicuntur.*

14. *Pro minutioribus vulneribus certa mulcta.*

15. *Verigeldus, mulcta, & emenda, differunt, & primò quid sit Verigeldus.*

16. *Emenda quomodo accipiatur.*

17. *Mulcta describitur.*

18. *Iuris communis dispositio in actionibus, ex parte vulnerum.*

19. *In regno vulnerum qualis taxa.*

20. *Faciens & procurans iniuriam idem est.*

21. *Non per se tantùm, sed per suos iniuriam quis patitur, ideo multiplex actio.*

22. *De iure Saxon. non augentur actiones.*

23. *Vxor à marito non contrà defendatur.*

24. *Actio iniuriarum quot modis tollitur.*

HACTENVS perstricta sunt vel breuissimè † ea, quæ ad substantialem formam processus iudiciarij per- 1.

tinere visa sunt: post exequutionem namque rei iudicatæ in litigio forensi exactam, finitamué, litium quoq; expẽsas, damna, & interesse, ceu rei prĩcipalis onera accessoria, lucro agentis iureuictoris adiudicata; quid amplius superest, quàm concupito fine iusticiæ exoptatæ placidissime potiri?
2. Verùm † enimuerò auid⁹ lector necdum fortasse hîc suo libitui satisfactũ asseuerabit (quanquam non est huius opusculi vniuersa sacratissimæ iurisprudentiæ arcana reserare) dum permulta desiderãda adhuc peroptaret, quæ antequã exposcet, in parte præstabo. atque priusquàm de vltimario vinculo iudicii, videlicet proscriptione loquar, quędã de iniuriis, debitis, venditionib⁹, emptionib⁹, successionibus, testamentis, præscriptionibus, atque cęteris nexibus obligationum, succinctissimè conferam. Et primò

quidem ex re venient iniuriæ, concomitantiaque ipsarum, tanquam vicinæ damnis, pertractandæ. † Iniuria 3.
itaque, præsertim generaliter sumpta, est omne id quod non iure fit. vt § 1. Instit. de iniuriis. & l. 1. ff. eodē. † Du- 4.
plex autem est, alia realis, quādo manus inferuntur, ita vt corpus verberibus afficiatur. § sed vt lex Corn. Instit. eodem. † Verbalis dupliciter fit, 5.
quando quis aut verbis contumeliosis, aut scriptis peruicacibus, famosisque libellis, famam alterius proscindit Et tales famosos libellos scriptitantes, vel authores facti causam incurrentes, si quod enorme & graue facinus obiecerint cuipiam, pæna talionis afficiantur, semper enim calumniantes, ad vindictam poscit similitudo supplicii. dicit l. fin. C. de accusat. Si verò leuior diffamatio in his committatur, pæna extraordinaria,

diffamationi factæ correſpōdente, expiari poteſt. vt vult. Iod. Damhoud. prax. rerum crimin. cap. 127. num. 6. Sed ſi verbis cōtumelioſis alteri quis iniuriam faceſſerit, ipſiuſque famam in dubium vocauerit, ad inſtantiam paſsi, iniuriam ex cōſuetudinaria praxi in regno recepta, reuocationis, ſeu reclamationis pæna corrigetur. Quā uis ius Saxonicum diſponit tales iniurias emenda ſola coërceri. lib: 2. art:
6. 16. & ſimilibus. Et † de omni iniuria, is qui eam paſſus eſt, vel criminaliter vel ciuiliter agere poteſt. § ſumma
7 Inſtit. de iniuriis. † Tunc ciuiliter agitur pro iniuria, quando actor adiudicari ſibi petit emendam ex arbitrio iudicis æſtimatam, facti, loci, perſonæ, circumſtantiis penſatis. l. con-
8 ſtitut. ff. de iniuriis. † Criminaliter autem, dum iudex pænam reo, aut in corpore, aut in honore irrogat. SS.

lib: 1. art. 68. & Iur. Mun. ar. 90. Dum autem † vna harũ actione agis, iam tibi ad aliam recursus minimè patebit. 9.
l. quod Senatusconsultum. ff. de iniuriis. & gl. SS. lib: 3. ar: 43. quod & praxis Curiæ retinet pro iure. Vtraque enim actio tendit ad vindictam. quare vna aliam tollit. l. quod SC. ff. eodem. quod ita est accipiendum, aut plures actiones competunt ex vno facto, pro re familiari persequenda, & vna tollit aliam, vt not. post. gl. & § fin. ff. si quad. paup. fec. dic. Aut plures actiones ex eodem facto descendunt, quarum alia est ciuilis, alia criminalis, sed non tendunt ambæ ad vindictam, vt quia est vna persequutoria rei familiaris, altera pęnalis: & licet regulariter simul proponi nõ possunt, tamen per electionem vna non tollit aliam. l. prætor. ff. eod. Vt quando quis agit actione iniuriarum ciuili-

ciuiliter pro iniuria reali atroci, posse eum etiam contra eundem agere, ex l. Aquilia. ad emendationem damni, interesse, & contra, alia enim est æstimatio damni, alia contumeliæ. l. & si quemcunque. ff. ad l. Aquiliam. Principaliter tamen actio iniuriarum competit, ad vindictam contumeliæ, non damni, licèt per consequens damnũ in ea peti poisit. Dum tamen petitur & damnum iniuriarũ, Aquilia iam cessabit: quodsi damnum in actione iniuriarum non fuerit æstimatum, poterit agi Aquilia, ad id quod plus est in Aquilia, & contra. l.
10 qui seruum. ff. de obligat. † Et quoniam sicut iniuriæ, aliæ leuiores fiunt, aliæ atrociores, ita aliæ leuioribus, aliæ grauioribus pænis vindicantur, atrox enim iniuria grauiùs punitur, quàm leuis. l. aut facta. ff. de pænis.
11 Et uerò † atrox iniuria æstimatur va-

riè, sic facto, vt si quis sit ab alio vulneratus, vel fustibus cæsus. l. vulneris. ff. de iniuriis. Persona, si aliquis leuis homo, plebeius, dignitario, aut filius patri, famulus domino, iniuriã inferat: Loco, veluti in conspectu iudicii, in foro, in templo, vbi est frequentia hominũ: etiam ex loco vulneris, vti in oculo, &c. Tempore, si tempore cõuiuij, vel ludorum, l. prætor. § atrocem. ff. eodem. Ita quoq; atrox iniuria dicitur, quando alicuius vestes per contemptum lacerantur, vel scinduntur. l. sed est quæstionis. ff. eodem. Et † quamuis de iure 12
Saxonico, pro leuibus & paruis iniuriis, cùm quis alium leuiter pugno pulsauerit, vel modicè vulnerauerit, reus mulctâ iudici, & emendâ actori præstitâ absoluitur. SS. lib: 1. art. 68.
Grauiores † autem iniuriæ, veluti vul- 13
nera nuncupata duellaria, quæ habẽt

profunditatem vnguis in medio digito manus, longitudinem verò articuli eiuſdem digiti, vel quæ infliguntur in ore, in facie, oculis, naſo, auribus, manibus, & pedibus, genitalibus, etiamſi propter ſui ſubtilitatem, cartilaginumq; & oſsium compages intortas, tantam quantitatem non habeant. item vulnera in capite per cranium, excuſsio oculi, aut dentis, mutilatio naſi, & ea generaliter vocantur duellaria vulnera, quę in facie deformitatem, in reliquis verò membris mutilationem adferunt: vocabātur autem duellaria, quia pro illorum inflictorum vindicta, duellum conſeri admittebatur. SS. li.2. ar: 16. quod vti belluinum neutiquam nunc in vſu manet: ibidemq́ue pro talibus medietas Verigeldi actori, iudici verò ſexaginta ſolidi, aſsignantur per reum luendi, ſed pro omnibus, vno eodē-

que tempore illatis, vnum dimidium præstando Verigeldum liberari. hoc tamen intelligitur, si ab vno plura simul vulnera illata sunt, secus si plures. quia tum quilibet tale vulnus inferés, medium Verigeldum luit. per text. l. si plures. ff. eodem. † In membro si quis denuo vulneratus fuerit, pro quo constet illum antea emendam accepisse, non opus est ei ampliùs emendam præstare, iudex tamé eo in passu mulctam acquirit: mulieres duntaxat medio verigeldo virorũ gaudẽt. Pro
† simplicibus vulneribus, vel liuidis, 14
vel obiecto mendacio, contumeliosis verbis, vel pro expilatione capillorum, & alia simili iniuria, dantur actori in eo casu, nomine emẽdę solidi. 30. & iudici solidi octo, lib: 2. art: 16.
Verigeldus † autem mulcta & emen- 15
da eo hîc differunt. Quod nimirum verigeldus est quædam appreciata

emendatio, seu pæna, quam in satisfactionem pro iniuria reus actori reponit, dum videlicet aut ex improuiso aut in defensa aliquem interficit, iuramentoq; defensam aut euentum casualem probans euaserit, nihilominus verigeldo absoluitur. huius quantitas verigeldi decem & octo libris constat, quarum quælibet 20. solidos facit, solidus autem censetur pro Polonicis duobus grossis Cracouiensibus, ita vt integer verigeldus non excurrat plusquam 24. florenos Polonicales, 30. grossis singulos nu-
16 merandos. † At emenda, quam pars læsa pro iniuria accipit, est melioratio seu emendatio noxæ in leuioribus
17 cõmissæ. † Multa autem datur Deo, seu iudici in sede Dei residenti, propter id quod patrauit noxam in homine contra mandatum Dei. ut C. de modo mulctarum. quæ maxima esse

censetur 60. solidorum, minor octo solidorum. † In iure tamen com- 18
muni longè dispar talium iniuriarum, præsertim in humano corpore (quod tanquam in statera pendi non debet) dispositio inuenitur, non enim illis statis emendis iniurians noxam suam redimit, sed arbitrio judicis, pro vulnerib⁹ inflictis libero homini, condẽnatur. Vbi non ad ęstimationem corporis proceditur, sed impensarum in curationem factarum, & damnorum ex inde emergentium, lucrorumq; & operarum amissarum & amittendarũ adiudicatio fieri solet. l. ex hac. ff. si quadr. paup. fec. dic. † In regno 19
etiam non adeo hoc in passu ius Saxonicum concernitur, nam taxam verigeldi, non ad Saxonicum compertum, sed potius ad statuta & constitutiones Regni, præsertim illam luculentissimam in Coronatione Se-

reniſsimi Sigiſmundi III. Regis moderni. Anno 88. de vulnerum æſtimatione diſponentem, ſancitam: In vulneribus vel cæteris iniurijs penſitandis, praxis quotidiana ſeruandam edocuit, nam & plebeij præſcriptis ſtatutorum regni in eo paſſu vti debent.
20 bent.† Non ſolum autem is tenetur iniuriarum qui fecit iniuriam, id eſt qui percuſsit &c. verùm & qui procurauit fieri. § non ſolùm autem. In-
21 ſtit. eodem. † Sed neq; ſolum aliquis pati poteſt iniuriam per ſemetipſum, verùm per liberos etiam ſuos, aut per vxorem ſuam. Si ergo filiæ meæ quæ Seio nupſit iniuriam irrogaueris, filiæ nomine tecum iniuriarum actione, patris etiam & mariti nomine, agi poteſt. l. ſi vxorem. C. de.
22 con. inſer. Licèt † de iure Saxonico ſecus dicendum videatur poſt Guarandam præſtitam, is eſt enim e-

ius effectus, vt pulsatus vna actione, in eadem à cæteris per actorem euinci debeat. lib: 3. art. 14. & lib: 2. ar. 15.
Vxori † etiã pro iniuria mariti agere 23
non licet, defendi enim vxores à viris, non viros ab vxoribus æquũ est.
l. 2. ff. eodem. Porrò † actio iniuria- 24
rum, tollitur septem modis. Primò per lapsum anni. l. si non conuicij. ff. eodem. Secundò, per pactum. l. si tibi decem. ff. de pactis. Tertiò, per transactionem. l. non solùm. ff. eodẽ. Quartò, per iuramentum delatum reo, qui iurat se non fecisse iniuriam, vel non animo iniuriandi fecisse, sed vel ioco, vel calore iracundiæ, vt d. l. conuicij. Quintò, per satisfactionem: qui enim accepit satisfactionẽ, iniuriam suam remisit. l. sed si vnus. ff. eodem. Sextò, per mortem tàm iniurantis, quàm iniuriati, ante litem contestatam. l. item apud. ff. eodem.

Septi-

Septimò, per diſsimulationem, vt ſi quis mihi iniuriam fecerit, ego id in animum meum nuſquam induxi, ſed ſiue in inſtāti, ſiue ex interuallo, poſt illatam iniuriam, riſi, luſi, bibi, comedi cum iniuriante, vel eundem quopiam amicabili ſigno affeci, vel per ſalutationem, vel dextræ porrectionem. § fin. Inſtit. eodem.

TITVLVS V.

De Debitis.

Summæ.

1. *Connexio cum ſuperiore titulo.*
2. *Debitum deſcribitur.*
3. *Debita multifariam contrahuntur.*
4. *Proceſſus iudicialis in decernenda ſolutione.*
5. *Debitor quotiens decreto iudicis contrauenit, totiens mulctam luit.*
6. *Ob æs alienum quis deſtinatus carceri, detrimentum famæ ob id non patitur.*
7. *Non ſolum contrahens debitum, ſed fide iubens, debitor eſt.*

8. *In obligatione dies non præfixa, præsens tempus concernit.*

9. *Debitor in humanis existens, pro debito ab hæredibus defuncti impetitus, euadit.*

10. *Debita post mortuam manum petens, metseptimus probat.*

11. *Debita ab hæredibus, ante 30. diem post mortem defuncti, non petantur.*

12. *Hæres aut quis alius inuentarium non conficiens, debitorum uniuersam solutionem incurrit.*

13. *Debita ex ludo contracta, in iudicio locum non sortiuntur.*

14. *Creditore solutionem petente, debitore autem eandem allegante, quid iuris.*

15. *Creditor debitori chyrographum restituens, an solutionem crediti importet.*

16. *Alio chyrographo pro se retento, aliud simile creditor debitori restituens, an liberationem intendat.*

17. *Exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium opponitur.*

18. *Indebitè solutum an repeti potest.*

19. *Debitum quadrifariam tollitur.*

20. *Forma inscriptionis pro debito facienda.*

ADFINIA sunt iniuriis † debita, nã quòd faciens iniuriam, non iure 1.

facere dicatur, haud abſimiliter quiſquam creditum meum retinens, neq; perſoluere volens, contra ius quodãmodo facere videtur.
2. † Debitum autẽ eſt, quod exigitur ab inuito, naturali vel ciuili iure, obligato. Hinc debitor ille eſt, qui accepit mutui nomine pecuniã à creditore, & ab eo etiã inuito eadem credita pecunia exigitur. l. debitor. ff. de verbor. ſign.
3. † Multifariam verò, debita contrahi ſolent, aut re, dum ex mutuo, commodato, venditione, locatione, &c. quid contrahitur: aut verbis cùm quis pro ſe vel pro alio promittit tibi dare, aut ſoluere. Scriptis: ſi aliquapiam ſcriptura, vel chyrographa deſuper data quidquã, alteri recognoſco me debere. Conſenſu etiam tacito, vt bona cẽſualia tenens, vniuerſa eius bona eò illata, pro tributis & cenſibus, pignoris nomine, ibidem obligãtur

licèt

licèt hoc non exprimatur. §1. Instit: de oblig. SS. lib: 2. ar. 3. gl. Iur. Mun. ar. 93. gl. Quando † debitum est in 4.
confesso, solutio ex officio iudicis inter præsentes decernēda est: primùm ad spacium quindenæ: deinde ad octiduum: postea ad diem tertiā: hinc ad solis occasum: postremò, durante sessione iudicum. † & quoties iudicis 5.
decreto non fuerit satisfactum, toties debitor illi mulctā succumbit, quodsi nec creditori rem debitam adiudicatam, decretis talibus interuenientibus, non persoluerit, vel pignoribus aut cautione onus actionis non releuauerit, neque iudici mulctam reposuerit, rebelliterque & contumaciter iudicio contrauenerit, realiter talis citari debet, videlicet deprehensus ad iudicium deducendus. Iur. Mun. ar. 93. Et † si ob grauamen æris alie- 6.
ni, vel inopiam fideiussoriæ præstan-

dę carceri talis obærat⁹ destinabitur, id honori eius nequidquam officere
7. poterit. Iur: Mun: ar. 27. † Sed non tantùm ille debitor vocatur, qui per se obligatur alteri, aliquid cõmodati, mutui, &c. à creditore accipiendo, sed dum etiam pro alio fideiubet, vel coram actis se debere recognoscit.
8. Iur. Mun. art. eodem. † Et in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.
9. ff. de reg. iuris. Hæredes † creditoris demortui agentes, nomine debiti, contra debitorem in viuis existentẽ, si conuentus negauerit se debere, nõ hæredibus, sed illi conuento, tanquã melius in causa gnaro, incumbit pro-
10 batio. SS. lib. 3. ar. 31. gl. † Quæ autem debita creditor à successoribus post mortuam manum, (vt vulgò vocant) repetit, talis actor metseptimus intentionem suam probare debet.

SS. lib: 3. ar. 31. Sed † debita (vt an- 11
te dixi) ante trigesimum diem, à mor-
te debitoris, non sunt ab hæredibus
petenda. Et † quicunq; in bona de- 12
functi, siue id fiat nomine successio-
nis, siue tutelæ, siue alio modo, se in-
gesserit, inuentariũque non confece-
rit, ad solutionem vniuersi æris alieni
tenetur. qui talis si fecisset comper-
toriũ, solùm iuxta vires substantiæ hæ
reditariæ, ad æs alienum soluendum
adstrictus fuisset SS. lib: 1. ar. 6. † Illud 13
quoque non prætereundum, quòd
pro debitis, in ludum & aleam con-
tractis, non detur actio, nisi fortè
quispiam post illud tempus de soluẽ-
do promiserit, nam eo casu tollere-
tur iam prima causa turpitudinis. SS.
lib: 1. ar. 6. Iur. Munic. ar. 103. † Por- 14
rò creditore debitum petente, debi-
tore autem solutionẽ allegante, vtri
credetur? Resp. quòd debitor talem

ſuam allegationem, cum duobus teſtibus ſolutionem videntibus & audientibus, medio iureiurando, euadit. SS. lib: 2. ar. 6. quod & praxis Curiæ perpetuò obſeruat. Quòd intelligẽdum eſt, etiamſi creditor chyrographum, vel quamuis aliam priuatam ſcripturam producens, ea debitorem conuincere vellet: & ratio eſt, quia ius promptiùs eſt ad eliberandum, quàm condemnandum. l. inter pares. C. de re iudica. vel quod excipiens, nomen actoris ſuſtineat. l. 1. ff. de except. proinde ad ſuæ allegationis probationem non immeritò admitti cenſetur. Non obſtante illa regula, nihil eſſe tam naturale, quàm vt eo modò quodque diſſoluatur, quo colligatum eſt. l. nihil. ff. de reg. iur. quia & eo caſu debitor ſatisfacere dicitur, dum ſolutionem allegans, eamq́ue probans, pro ſoluente & non de-

bitore venit accipiendus. Id tamen
fallit in ſcripturis authenticis, puta
inſcriptionibus actisten9 recognitis,
quia creditor proculdubio debito-
rem talibus conuincet, niſi contra-
ria quitantia, vel apocha, aut certo a-
liquo nomine ſatisfactionis, debitor
eius inſtantiam emunxerit. In his ta-
men iudicis arbitrium ſobrium eſto.
Item † ſi creditor debitori chyrogra- 15
phum reſtituat, pro credito ſoluto,
præſumitur inter eos conuentio facta
eſſe. l. Labeo. ff. de pactis. Si vide-
licet volente & conſentiente credi-
tore, tale chyrographum ſit redditũ,
nam volenti & conſentienti, nulla fit
iniuria. per l. in diem. ff. de aqu. &
plu. arc. † Quod ſi creditor aliud ſi- 16
mile chyrographum ſuper eodẽ de-
bito apud ſe retinuerit, alterumq́; ſi-
mile debitori reſtituerit, non cenſe-
tur debitor factus liber à ſolutione,

quia hoc non tam reſpectu ſolutionis factæ, ob idque liberationis, ſed fortaſſe propter certitudinem loci, temporis quantitatis in debito ſoluendo indagandam factum fuit, vt notat gl.
17 in l. pecuniæ. C. de ſolut. † Verùm quãdo debitor ſpe futuræ numerationis pecuniæ, chyrographum creditori concedit, in quo confitetur ſe certam pecuniæ ſummam ab eo mutuo accepiſſe; ſucceſſu temporis actio ipſi nomine confeſsi intentatur: exceptione, non numeratæ pecuniæ, ſe defendet, quæ praxis eſt regulata: nihil enim eſt tam iniquum, quàm vt aliquis cum alieno damno locupletetur. l. nam hoc. ff. de cond. indebiti. Quæ tamen exceptio intra iuſta tempora opponi debet, videlicet intra biennium. l. in contractibus. C. de non numer. pecun. neque enim quiſquam adeò negligens eſſe præſu-

mitur, vt intra biennium non exigeret pecuniam, vel chyrographum repeteret. † Huc facit dum quis ignorans aliquid indebitè soluit, an illud iure repetere posſit? Reſp: Tam qui indebitum ſoluit ciuiliter, vt dum chyrographum dedit ſpe futuræ numerationis, nec eandem recepit: quàm naturaliter, dum ſcilicet quis in re vera numerat pecuniam, aut vtroque modo, ſolutum enim tale per quamlibet ignorantiam, ſiue iuris, ſiue facti, repetere poteſt. l. vt cum ſolutor. C. de condict. indebiti. Quod non currit, dum per ignorantiam, facti, vel iuris, craſſam ſoluit, videlicet ſi omnes in ciuitate id ſciant, quod ille per ignorantiam ſuam ſibi præiudicârit. l. regula. ff. de condict. indebiti. Denique † ſicut diximus debitum quatuor modis contrahi ſolere, ita quadrifariam quoque tolli poteſt.

18

19

Primò, ſolutione reali effectualique quam debeo, dans rem pro re, vel pro re nũmos vſuales in prouincia currẽtes. SS. lib: 3. art. 40. Secundò, compẽſatione. vt l. eius. C. de ſolut. Tertiò, acceptilatione, de qua tot. tit. C. & ff. de acceptilat. Quartò, per nouationem vel delegationem. l. contractu. C. de nouat. & deleg. Quomodo autem debitor coram actis recognoſcens creditori debitum inſcribat, talis ferè forma concipitur.

20 *In † eodem iudicio Bannito, comparens perſonaliter, famatus N. conſul & ciuis L. publicè & per expreſſum recognouit, quia famato N. de P. mille aureos Ungaricales, boni valoris, & iuſti ponderis, quemlibet 70. groſsis communis numeri & monetę Polonicalis computando, certi & liquidi debiti, pro A. B. C. D. ſeu mutuatę pecunię, tenetur & pręſentibus obligatur, bine ad feſtum*

Aſſum-

Assumptionis B. M. V. proximè ven-
turum, soluere & complere: Casu vero
quo non soluerit, aut soluere neglexerit:
extunc in crastino eiusdem festi Assum-
ptionis B. M. V. proximè venturi, de-
bebit, tenebitur, pręsentibusq; se obligat,
dare realem intromissionem, & pacifi-
cam possessionem, prędicto suo creditori
N. de P. in domum suam, in loco tali si-
tam, per Dominum Aduocatum & Sca
binos Ciuitatis nostrę. & data sibi intro-
missione, & pacifica possessione, debet
& tenebitur ipsum tueri & defende-
re & eliberare, ita quod pręfatam do-
mum; pacificè & quietè ab omni impeti-
tione iuridica quarumcunque persona-
rum tenebit, possidebit, & habebit mo-
do obligatorio, in pręfatis mille florenis,
á pręfato festo Assumptionis B. M. V.
vsque ad aliud festum Assumpt. eiusdem
B. M. V. proximè venturum: & sic
annis continuè se sequentibus, vsque ad

 totalem

totalem & plenariam solutionem prędictorum mille florenorum, cum omni iure, & dominio, & proprietate, ac cum omnibus vtilitatibus & vsufructibus, ex eadem domo prouenientibus, nihil excipiendo. Quę quidem inscriptio debiti, admissa est & confirmata, habere robur firmitatis, in omnibus & singulis suis punctis, de forma iuris.

Titvlvs VI.

Emptio & venditio, conductum & locatum, depositum.

Summæ.

1. *Contractus iure gentium & ciuili inter homines inducti.*
2. *Alij sunt innominati.*
3. *Alij nominati.*
4. *Venditio & emptio, vnde ortum deducant suum.*
5. *Venditio & emptio quando fit.*
6. *Ad venditionem & emptionem quæ requirantur.*

Venditio

24. *Rei*

24. *Rei depoſitæ quando duplum petitur: regulariter autem ſimplum.*

25. *Reſtitutio depoſiti ſine vlla dilatione fieri debet.*

26. *Depoſitor alijs creditoribus in petendo præponitur.*

27. *Norma inſcriptionis pro depoſito.*

CONTRACTVVM nexus varij in-
1. ter † humanam ſocietatem, tam
de iure gentium, quàm iure ciuili
exercentur, ex mera neceſsitate, nihil eſt enim tam humanum, quàm
cum alter ab alio, modo certo in re
incerta adiuuatur, iuxta illud, homo
2. homini Deus. † Fit autem vt tales contract9 humani, aut innominato titulo perficiuntur, quorum tamẽ nomina, cæteris nominatis contractibus ſubſeruiunt, ſuntq; quatuor. do vt des, do vt facias, facio vt facias, facio vt des, & iſti innominati contractus, ſequuntur naturam contractuum nominato-

rum qui eis aſsimilantur.l. naturales.
ff. de præſcrip.verb.† Nominatis ve- 3.
rò contractibus ſua nomina appro-
priata conueniunt, vt ſunt venditio,
locatio,& huius modi.† Venditioni& 4.
emptioni olim nullus locus fuit, quia
nullus nummus: permutationibus e-
nim duntaxat in rebus neceſsarijs ac-
quirendis gaudebant. Sed quia in
transportandis rebus permutatis nõ
parua difficultas oboriebatur, indu-
ſtriâ anxietati laborioſæ conſultum
fuit, vt materia rara quæ eſſet cara eli-
geretur, eiq́; publica æſtimatio impri-
meretur, eadẽq; materia, puta, aurũ,
argentum, æs, forma publica numiſ-
mate percuſſa, vſum dominiumq, non
tam ex ſubſtãtia, quàm ex quantitate
ſua præb.l.1.ff.de empt.& vend.† Pro-
inde vbicunq; pecunia erogatur, vt 5.
aliquid aliud accipiatur, emptio eſt
& venditio, ſi non pro nummo, ſed a-
lijs re-

lijs reb⁹ alias res nãciſcimur, permutatio dicitur,& nõ emptio.§ precium
6 autem. Inſtit. eodem.† Porrò vt emptio & venditio ualeat, mutuus contrahentium requiritur conſenſus, verbis aptis palàm expreſſus, aut manu propria contrahentium conſcriptus, vel ab alio quopiam ſcriptitatus, à contrahentibus tamen ſubſcriptus, deinde vt traditio rei venditæ ſubſequatur, preciumq; pro ea aut numeretur, aut per ſtipulationem promittatur, vel arrha certioris argumenti ergò ab emptore vẽditori tribuatur: ſolennes etiam tales contractus mercipotu, eiq; perſonis interuenientibus,
7 roborari ſolẽt. Vt † autem ſit perfecta reſignatio per venditionẽ bonorum immobilium, id coram iudicio bannito illius territorij, cuius iuriſdictioni bona ſubſunt, inſinuetur, recognoſcaturque, intromiſsioq; per iu-

dicem

dicem emptori danda eſt, & per præconem publicanda. Iure Munic. art. 20. Et venditor regulariter de euictione tenetur, † non ſolùm quòd res 8.
à vero Domino ſit empta, ſed etiam de vitiis latentibus rei venditæ. Si verò in rem venditam & traditam cõmittatur iniuria, aut violentia, quia nihil intereſt venditoris, non tenetur de euictione. Iur. Munic. ar. 99. SS. lib: 8. ar. 4. quippe euincere, quaſi varandare dicitur, & euictor, varandator vocatur. † Porrò euictionis onus in 9.
actione rei venditæ releuatur, dum à traditione ipſius, per intercedentem præſcriptionem, firmitas inoleuit. SS. lib: 1. art. 9. † Hinc rem ven- 10
ditam tenetur venditor euincere, cõtra præſentes anno & die. Iur. Mun. ar. 21. Inter abſentes autem, ad mortem vſque venditoris, quamdiu in humanis eſt, euictio præſtari debet. SS.

11 lib: 3. art. 83. Iam † verò rei venditæ periculum omne ad emptorem, poſt traditionem vel reſignationem ſibi à venditore factã, ſpectat, quo enim inſtanti temporis dominiũ rei venditæ emptor acquiſiuerit, eodem caſ⁹ omnes fortuiti in ipſum recidunt. Iur. Munic. art. 140. Quodſi venditione peracta, & traditione non ſubſequuta, quæ eſt fundamentum venditionis, caſu fortuito res vendita perierit, ad venditorem pertinere cenſetur vniuerſum periculum. Emptor etiam ſi aliquam arrham, emptionis nomine, dederit, illico perdet. l. cùm. C. de commo. & peri. rei vend. Ad
12 rem † emptam, eiuſque contenta ſi mihi claues traditæ fuerint à venditore, omnium poſſeſsio videtur mihi data. nam & in cella vinaria vinum, & in horreo frumenta, per talem traditionem, acquiro. Similiter dum

merci-

mercibus emptis signum suum negociator adiecerit, veram nanciscitur possessionem & traditionem. SS. lib. 2. art. 44. Cæterùm † venditionem 13
bonorum vllam, neq; traditione, neque præscriptione confirmatam, hæredes venditoris, non tenentur ratã habere, eo quòd illi restitutis pecuniis, extraneo præferuntur emptori. SS. lib: 1. art. 6. † Quin potiùs res venditas 14
& resignatas, traditione & precio etiam interueniente, proximi & consanguinei, vxor etiam, si propiores non sint, retractus iure, emptoribus oblato precio recuperare possunt, praxis tenet sic. & SS. lib: 1. artic. 9. Venditionis & emptionis, alicuius hęreditatis in perpetuum inscribendæ, talem vel similem accipe modum.

In † eodem iudicio bannito, comparens 15
personaliter famatus A. *ciuis* N. *sanus mente & corpore existens, publicè &*

per expressum recognouit, quia domum suam lapideam hereditariam, in platea tali, inter domos N. ex vna, & N. ex altera partibus sitam, cum totali ipsius domus hereditate, & omnibus ad eam pertinentibus, quouis modo spectantibus, & prouenientibus, nihil iuris, dominij, & proprietatis, & quorumuis vsufructuum, in eadem domo pro se, & suis successoribus reseruando, seu excipiendo, ita latè & longè circumferentialiterq́, prout prefatę domus hereditas se in suis terminis & limitibus extendit, famato N. pro ducentis marcis paratarum, realiter & cum effectu persolutarum pecuniarum, monetę & numeri Polonicalis, in quamlibet 48. grossos computando, vendidit & iudicialiter resignauit, perpetuè & in ęuum: ita prout solus habuit, tenuit, & possedit, per famatum N. & eius successores, cum omni iure, dominio, ac proprietate, ac titulo hereditario,

ditario,, perpetuè & in ęuum tenenda, possidenda, & ad vsus beneplacitos conuertenda. Etiam ex nunc prędictus A. pręfato N. dedit realem intromissionem, & actualem possessionem, per Dominum Aduocatum, & Scabinos iudicio pręsiden. in prędictam domum, & eius hęreditatem totalem. Et debet prędictns A. eiusque successores pręfatum N. cum suis successoribus varendare, euincere, eliberare, tueri, ac pacificare, ab omni impetitione iuridica, ab omnibus personis, toties, quoties sibi opus fuerit, nulla re exquisita ipsum euadendo: Quę quidem venditio & resignatio, admissa & confirmata est habere robur perpetuę firmitatis, in omnibus & singulis suis punctis & clausulis de forma iuris, super quo memoriale est persolutum. Sciendum † est, si quid vnus coram iudice& Scabinis agere habeat, 16
in donando vel resignando, solidum

ſoluet, qui facit duos groſſos Poloni-
cos, quem Scabini pro memoriali ac-
cipiunt. Iure Munic. ar. 23. Locatio
17 & † conductio, habent quandam af-
finitatem cum emptione & venditi-
one, niſi quod hæc ad perpetuitatem
referuntur, illa verò determinato
tempore abſoluuntur. gl. SS. lib: 2.
ar. 59. & circa locationes & condu-
ctiones, maximè fides contractus ſer-
uanda eſt. l. circa. ff. de locat. & ven-
18 dit. † Locationem autem dominus
reſcindere poteſt, ſi ipſemet vel ad
inhabitandum bonis indigeat, vel ea
reficere velit, tum etiam ſi conductor
penſionem ſoluere detrectet, bono-
rum conditionem deteriorem reddi-
derit, aut inhoneſtè vixerit. SS. lib: 2.
19 articulo 59. † Si inter locatorem & cõ-
ductorem agitetur controuerſia, de
cenſus ſolutione, locator erit propi-
or medio iureiurando ad aſſertionẽ
ſuam

ſuam comprobandam. † Conducto- 20
rem item ſoluere detrectantem, domino fundi licet, irrequiſita authoritate iudicis, pignorare. Iur. Munic: art. 140. Vniuerſa enim conductoris ſubſtantia, in fundum domini illata, tranſit in pignus locatori, ratione cẽſus, ex conducto numerandi. SS lib: 2. ar. 59. Hic porrò contractus locati & conducti, vulgariter vocatur arẽda. cuius hæc poteſt fieri formula.

In † eodem iudicio perſonaliter conſtitu- 21
tus famatus N. *publicè & per expreſſum recognouit, quia agrum ſuum, vel domum ſuam, in loco tali vel tali ſitum vel ſitam, arendauit, locauit, & ad annuam penſionem dedit & conceſsit, famato* S. *pro triginta florenis, communis & vſualis monetę, & numeri Polonicalis, in quemlibet* 30. *groſſos numerando, ad annos duntaxat* 6. *completos, á feſto Sancti Joannis Baptiſtę proximè fu-*

 turo

turo continuè se sequentes: quos quidem triginta florenos pensionis, prędictus S. tenebitur quolibet anno soluere, ad duas temporum ratas infrascriptas, hoc est, quindecim florenos, pro Festo Natiuitatis, & rata prima: aliam vero medietatem pro Festo Sancti Joannis Baptistę, & rata secunda: Pręfatus autem N. locator, tenebitur pręfatum S. conductorem ad acta Dominorum Consulum Cracouien. de eis quietare, & sic consequenter & successiuè, & quolibet anno durantibus prędictis sex annis, vsque ad expirationem prefatę arendę: Quem quidem agrum vel domum, prędictus S. arendator tenebit, possidebit, illoq; fruetur, vigore prefatę arendę, & nullo alio iure, cum iure, dominio, omnibusque vsufructibus, ad prędictum agrum vel domum spectantibus, & vtilitatibus ex illo prouenientibus, vsque ad decursum sex annorum à receptione possessionis:

& jam

& iam prefatus N. dedit predicto S. arendatori realem possessionem, in prefatum agrum seu domum, tenebiturq́; ipsum tueri & protegere in prefatis bonis arendatis, ab omni impetitione iuridica, vsque ad expirationem prefatę arendę. Et coram eodem iudicio stans personaliter prefatus S. arendator, etiam recognouit se arendasse & conduxisse predictum agrum vel domum, apud predictum N. iuxta continentiam presentis inscriptionis, quem agrum recognouit, non alio genere, tantum modo iure arendę predictę se tenere & possidere. Qui quidem contractus arendationis, locationis, & conductionis, admissus, & confirmatus est habere robur firmitatis, in omnibus & singulis suis punctis & clausulis de forma iuris, quod solidatum est.

Postremò, † depositum illud dicitur 22
quod custodiẽdum alicui datum est, hinc qui aliquam rem deponit, apud

alium, abdicat à se ex toto custodiam, & in depositarium transfert. l. 1. ff. de-
23 positi. † In tali deposito seruando, depositarius dolum præstare tantùm
24 tenetur. SS. lib: 3. ar: 5. l. si vt certo. ff. commodati. † Depositarius apud quem res, incendij, naufragij, tumultus, vel metus causa, deposita est, si eandem negauerit, in duplum eius rei tenetur. § in duplum. Instit. de actionibus. in cæteris casibus non nisi in simplum tenetur, vt scilicet res depositas restituat cum fructibus & om-
25 ni causa. l. 1. ff. depositi: † Restitutio autem depositi, sine vlla dilatione, fieri debet, ita vt neque compensatio, neque cuiusquam interdictio locum habeat. l. si quis. C. depositi. Quod secus de fure vel prædone censendũ est, domino enim rei, non furi aut prædoni, res ablatæ, restitui debent. l. bo-
26 na fides. ff. depositi. † Depositores

etiam in petendo alijs regulariter creditoribus præferuntur. l. si hominem. ff. depositi. Inscriptionis autem depositi, talis ferè forma scribitur. † *Coram officio in consessu consulari, personaliter constitutus A. publicè & per expressum recognouit, ad se recepisse in depositum, & nomine depositi in parata & numerata pecunia marcas centum, ad seruandum & custodiendum á Nobili D. tradente & deponente: pro se suisq. heredibus & successoribus quibuscunque legittimis. quas quidem centum marcas, idem A. promisit restituere ad simplicem requisitionem & petitionem, quandocunque visum fuerit præfato D. nullis damnis, periculis, & fortuitis casibus ipsum euadendo, pro quibus seipsum suosque heredes & successores, ac bona sua quęcunque, mobilia ac immobilia, pręsentia & futura, vbique existentia, obligauit & hypotecauit: Quę* 27

 quidem

quidem inscriptio & obligatio admissa & confirmata est, per Dominos Consules, auctoritate statutorum & priuilegiorum ciuitati L. concessorum, habere robur firmitatis, ac si coram iudicio esset facta.

TITVLVS VII.

Donationes, Legata, & Testamenta.

Summæ.

1. *Donatio quid sit.*
2. *Quisq; suæ rei est arbiter.*
3. *Iuris ciuilis dispositio de donationibus.*
4. *Ius Saxonicum donationes strictè circumscribit.*
5. *Donatio qualis subsistere potest.*
6. *Mobilium donatio vbiq; recognosci potest.*
7. *Donationes inter virum & vxorem arcendæ.*
8. *Reciprocæ donationes inter virum & vxorem validæ.*
9. *Reciprocæ donationis requisita.*
10. *Donationes causa mortis quales.*
11. *Donatio causa mortis, à legato, quo differat.*

12. *Legatum quid sit.*

13. *Testamentum ægrotus quomodo condere potest domi suæ.*

14. *Solennitas testamentorum penes consuetudines loci restricta.*

15. *In testamento pater potest alteri filiorum plus dare quàm alijs, quando.*

16. *formula inter viuos donationis.*
17. *formula inter coniuges donationis.*
18. *formula donationis reuocandæ.*
19. *formula Testamenti.*
20. *formula reuocationis eiusdem.*

NON solùm mediante aliquo contractu (vt omittam hîc plurimos in iure designatos modos acquisitionis rerum) acquirimus rerum dominia, sed etiam per donationes, & vltimas testantium voluntates. Donatioque † dicitur rei licitæ, nullo iure cogente vera libertate facta collatio. 1.
l. donare. ff. de regulis iuris. dicitur autem donatio à dono, quasi doni datio. l. Senatus. ff. de mortis causa donatione. Quisq; † enim rei suæ mo- 2.

derator & arbiter est, ita vt liberam administrationem, & alienationē rerum suarum, ingenuo homini (si non sit minorennis, prodigus, aut furiosus) denegare, summæ esset iniquitatis. l. non vsque. ff. si quis à part. manumiss. sit. Quales donationes vt effectum suum sortiantur, certis limitibus, tàm à iure Ciuili, quàm Saxonico circumscribuntur. † Ius ciuile,
3. donationes illas tantùm subsistere cōclusit, quæ actis publicis insinuantur. l. data. C. de donat. Illæ autem insinuato indigent, quarum valor quingentos solidos (suppone aureos) excedit. § aliæ. Instit. de donat. Ius verò † Saxonicum donationem bo-
4. norum immobilium cuiuscunq; valoris, minutioris etiam quàm quingentis solidis constet, coram iudicio, idque cum consensu hæredum fieri debere tenet. SS. lib: 1. art. 12. lib: 2.

ar. 30. † Praxis tamen in alienatione 5.
bonorum immobilium, consensum hæredum minùs attendit, modò ea coram actis Iudicij banniti expositi iurisdictionis eius, cui bona illa subsunt, insinuetur, alioquin donationes & alienationes minimè subsistere poterunt. SS. lib: 1. ar. 21. † Sed dona- 6.
tio rerum mobilium, coram quibuscunque actis recognosci potest. SS. li: 1. ar. 52. nisi debilitas corporis obstet, ex infirmitate, non senectute. l. senectꝰ. C. de donat. † Donationes in- 7.
ter maritum & vxorem, quamuis de iure non sint regulariter permissibiles, ne videlicet mutuo amore inuicem spoliarentur, donationibus non abstinentes, profusamq́ue erga se facilitatem fouentes. l. 1. ff. de donat. inter vir. & vxorem. In iure etiam Saxonico, mulier donationem in suis mobilibus, vel proprietate marito fa-

cere

8. cere inhibetur. lib: 1. ar. 31. † Tamen reciprocas donationes seu remunerationes, inter virum & vxorem, communis praxis in vsum induxit, quas Accursius instar permutationis esse affirmat, per l. & si. ff. de petit. hæred.
9. Quæ si † non sit æquiualens, inualida esse censetur. tot. tit. ff. C. de donat. inter virum & vxorem. Reciprocæ donationes itẽ, de natura suæ validitatis requirunt, vt sine vllo interuallo, simul in continenti fiant, aliâs vtraq; inualida. l. quæ iam nupt. ff. de do. inter vir: & vxor. Sunt & aliæ donationes †
10 quæ dicuntur fieri causa mortis, cùm quis magis habere se vult, quàm eum, cui donat, & eũ cui donat magis, quã hęredẽ suum, prout Telemachus donat Piræo apud Homerum. § de mor. cau. donat. talesque donationes per omnia ferè vltimis volũtatibus & legatis æquiparantur, per l. fin. C. de

mort.

mort. cau. donat. In † eo porrò do- 11
natio causa mortis differt à legato,
quòd in ea præsentia donatoris & do
natarij requiritur. l. inter mortis. ff.
de donat. cau. mort. Legatum verò
absenti & ignorãti relinqui potest. Ac-
curs. in l. fin. C. de donat. cau. mort.
Quare sic definitur legatum: est do-
natio quædam à defuncto relicta ab
hærede præstanda. § 1. Instit. de lega-
tis. In † regno prout testamenta de 12
rebus immobilibus confici nequeũt,
ita nec legata. excepto legato ad pi-
as causas quod in re immobili, & eti-
am minus solenni testamento relictũ
valet. † Et testamentum ab ægroto 13
condi plerumque solet, conuocato
ad hoc legitimo magistratu: quæ e-
nim important voluntariam iurisdi-
ctionem, qualis est factio testamenti
etiam extra locum iudicij, coram iu-
dice, vel magistratu gesta, non secus

intelligenda ſunt, acſi coram iudicio, & apud acta geſta eſſent. argum. l. 1. ff. de off. coſs. Secus fit in illis quæ ſunt litigioſæ iuriſdictionis, cognitionemque requirunt.
14 † Cæterùm ſolennitas teſtamentorum, iuxta conſuetudines loci, præſertim verò ipſius teſtatoris domicilij, obſeruanda cenſetur. l. ſi non ſpeciali. C. de teſtam.
15 Inſuper † nota, quòd pater in teſtamento, vni filiorum plus quàm alteri relinquere poteſt, dummodò Falcidiam, ſeu legittimam quilibet eorum conſequatur. l. parentibus. C. de inoff. teſt. Id vt procedat in regno, intellige teſtamentum conditum, ex parte mobilium. Enimuerò præmiſſa vt magis eluceant (non enim eius loci eſt, de iis fuſiùs tractare) formulas eorundem attexere non piguit, quæ ſic habent.
16 † Formula donationis inter viuos. *In eodem iudicio bannito, per-*

nito, personaliter constitutus famatus N. *sanus mente et corpore, publicè et per expressum recognouit, quia laneum agri suum proprium, inter agros* C. *ex vna, et* B. *partibus ex altera situm, dedit, donauit, et resignauit, perpetuè et in euum, irreuocabiliterque, cum omni iure, dominio, proprietate, tituloque hereditario, et cum omnibus ad ipsum agrum pertinentibus, et quouis modo spectantibus, vtilitatibusq; vniuersis: nihil iuris, dominij, proprietatis, et quorumuis vsufructuum, et vtilitatum, in predicto laneo agri, pro se et suis successoribus reseruando seu excipiendo, ita latè et longè, circumferentialiterque, prout prefati lanei agri hereditas, se in suis metis et limitibus extendit, et prout solus illum tenuit, habuit, et possedit: Famato* L. *fratri suo germano, et eius successoribus legittimis ad tenendum, habendum, et perpetuè possidendum, et ad vsus beneplacitos*

 conuer-

conuertendum, etiam prędictus N. *exnunc pręfato* L. *fratri suo germano, dedit realem intromissionem, et actualem possessionem, in prędictum agri laneum, per Dominos Aduocatum et Scabinos iudicio pręsidentes, et debebit tenebiturq́; ipsum et successores eius, varendare, tueri, defendere, eliberare, et pacificare, occasione donationis pręmissi agri, ab omni impetitione iuridica, ab omnibus personis, toties, quoties opus sibi fuerit: Quę quidem donatio admissa et confirmata est, habere robur perpetuę firmitatis, in omnibus et singulis suis punctis et clausulis de forma iuris.* Formula donationis † inter coniuges. *Comparentes personaliter coram iudicio bannito, famati* N. *et* B. *coniuges, sani mente et corpore existentes, vsi amicorum consilio salubri, publicè et per expressum recognouerunt,* N. *maritus per se, et* D. *vxor eius, per* L. *plenipotentem et tuto-*

rem su-

rem suum ad hoc specialiter sumptum de consensu eiusdem sui mariti, in omni meliore modo et forma, quibus de iure potuit et debuit: quia proprietatem, dominium, et hęreditatem omnium bonorum suorum hęreditariorum et obligatoriorum, quę nunc habent, et in post habebunt, nullis exceptis, inuicem et mutuò, ex causa mutuę beneuolentię, donauerunt, concesserunt, inscripserunt, et resignauerunt sibi, alienando, et excludendo omnes suos consanguineos, tali videlicet modo: Quod si pręfatum N. priusquam pręfatam B. mori contigerit, ex tunc ipsa, hęc bona omnia mobilia et immobilia, prędicti N. mariti sui obtinebit, et possidebit, cum omni iure, dominio, et proprietate, et titulo hęreditario, nihil excipiendo: habebitque facultatem eadem omnia bona vendendi, donandi, alienandi, et ad vsus beneplacitos conuertendi, sine quouis impedimento et

contradictione, successorum prefati N. *mariti sui: Et similiter, si contigerit prę dictam* B. *prius mori, quàm ipsum* N. *ex-tunc prefatus* N. *bona omnia tam mobilia, quàm immobilia prefatę* B. *obtinebit et possidebit, cum pleno iure, dominio, proprietate, et titulo hęreditario, et omnibus eorundem bonorum attinentiis, nullis penitus exceptis, habebitque potestatem eadem bona pro arbitrio suo vendendi, donandi, commutandi, alienandi, & ad vsus beneplacitos conuertendi. Qui quidem contractus donationis admissus est et confirmatus, habere robur perpetuę firmitatis, in omnibus et singulis suis clausulis de forma*
17 *iuris.* † Formula reuocationis donationis. *Famatus* N. *coram iudicio bannito personaliter constitutus, mente & corpore sanus, de bono consilio, et de bona deliberatione sua, suorumque amicorum, donationem factam* B. *iuxta inscri*

ptionem,

sptionem, quę continetur in Actis iudiciorum nostrorum bannitorum, feria secunda post festum Sancti Stanislai in Maio, 1613. cassauit, reuocauit, et mortificauit, in omnibus suis punctis et clausulis, nolens illam ampliùs alicuius esse vel roboris, vel momenti. † Formula 18
testamenti. Famatus N. ciuis L. licèt corpore languidus et valetudinarius, sanus tamen mente, et rationis bene compos, bona deliberatione, matureq́ue consilio pręhabito, sedens in sedili, obtinensq́ue per sententiam iuridicam, quod cum suis bonis mobilibus et immobilibus, vbilibet existentibus, facere et disponere possit, secundùm beneplacitum suę voluntatis, hoc condidit testamentum, & talem ordinationem suę vltimę voluntatis fecit. In primis N. coniugi suę charissimę, ob summam eius fidem et integritatem, mille florenos in moneta, quemuis 30. gross. computan. legauit. Pręterea eidem

eidem legauit omnia ſupellectilia, et vtenſilia domeſtica, tam argentea formata, quàm ſtannea, aut ex quacunque alia materia facta ſint. vnà cum veſtibus ſuis, nihil penitus excipiendo, vt ea pro ſe retineat, et eis vtatur pro arbitrio ſuo. Item ad ſtructuram noui hoſpitalis, gallico morbo infectorum, legat centum marcas. Item in ſepulturam impenſamq́; funebralem, et in opera pietatis, legat centum marcas. Item in reſiduo omnium bonorum ſuorum mobilium et immobilium: quibuſcunque nominibus cenſeantur, nullis exceptis, fecit, inſtituit, & ore proprio nominauit, eſſeq́ue ſibi voluit hęredem ex ęquis partibus, H. *et* L. *filios chàriſſimos, quos etiam elegit, fecit, et nominauit pręſentis ſui teſtamenti, ſeu vltimę voluntatis exequutores, quibus ſimul, et eorum cuilibet pręcipit, vt omnia et ſingula legata, iuxta prędictam ſuam ordinationē, intra medium annum,*

á tem-

a tempore mortis eiusdem computandum distribuant & extradant. In his autem omnibus et singulis clausulis et articulis, reseruauit sibi dominium & potestatem, ea pro tempore retractandi, aut in aliam formam redigendi, prout sibi visum fuerit, quandiu vixerit, quod testamentum confirmatum est habere robur perpetuę firmitatis de forma iuris. Reuocatio eiusden testamenti. *Coram nostro* 19
iudicio personaliter comparens famatus. N. *ciuis* L. *mente & corpore optimè sanus, bona & matura deliberatione prę habita, testamentum suum ante hac feria quarta ante festa omnium sanctorum factum, iuxta reseruationem dominij, de facto cassauit, reuocauit, reprobauit, & mortificauit, in omnibus & singulis suis punctis & clausulis, nolens illud amplius alicuius esse roboris vel momenti.*

TITVLVS VIII.

Successiones seu hæreditates.

Summæ.

1. *Hæreditas quid sit.*
2. *Tres gradus successionum ab intestato.*
3. *Descendentium.*
4. *Ascendentium.*
5. *Collateralium.*
6. *Alij cognati, alij agnati.*
7. *In iure ciuili & Saxonico, nullum discrimen inter marem & fœminam in succedendo.*
8. *Qui ex æquo succedere volent parentibus, antè accepta ab ijs, conferant oportet.*
9. *Iure repræsentatiuo nepotes auis succedunt.*
10. *Nepotes ascendentibus & collateralibus præferuntur in succedendo.*
11. *Pater quibus anteponitur ex parte successionis.*
12. *Ius ciuile à Saxonico discrepat in assignandis successionibus.*
13. *Præmortui fratris filij, vnà cum patruis, admittuntur ad successionem patrui defuncti.*
14. *Ius Saxonicum iuri repræsentatiuo nonnisi in descendentibus locum facit.*

15. *Indiſtincti fratres diſtinctis potiores ſunt in ſuccedendo.*

16. *Diſtincti fratres cum indiſtinctorum filijs eodem gradu collocantur.*

17. *Ratio ſuccedendi in ſtirpes in Regno recepta.*

18. *In capita non in ſtirpes quando ſuccedi-tur.*

19. *Gerada & Hergeuet peculiarem modum ſucceſsionis habent.*

20. *Gerada ad proximiorem cognatam & clericum delabitur.*

21. *Hergeuet ad proximum agnatum transmittitur.*

22. *In Gerada & Hergeuet petendis præſcriptio breuis.*

23. *Gerada & Hergeuet pertinentium compertorium.*

24. *Bona mobilia vxoris ſunt in poteſtate mariti.*

25. *In bonis mobilibus vxori maritus ſuccedit.*

26. *Dos quamuis à marito non repetatur, dotalicium tamen petitur ſoluto matrimonio.*

27. *Fructus vltimi anni, ſoluto matrimonio, diuidi debent de iure ciuili.*

28. *Ius Saxonicum fructus induſtriales vltimi anni applicat marito.*

29. *In iure Culmenſi mulier poſtquam aſcendit lectum mariti, dimidium bonorum eius, & contra vir vxoris, lucratur.*

30. *Plebiſcita ciuitatum praxis Curiæ ſequitur.*

31. *Quartus gradus ſucceſsionis: vnde vir & vxor.*

32. *Quintus gradus ſuccedendi fiſco relinquitur.*

PRAETER illos, quorum meminimus, tum & alios acquirendi modos, ſucceſsiones ab inteſtato, ſeu hæreditates, bonorum acquiſitionem
1. nobis ſubminiſtrant. † Eſt autem hęreditas illud vniuerſale & totum ius, quod defuncto, in cuius bona ſucceſſionis titulo vocamur, vndecunque videtur competere. SS. lib: 1. art. 6. l. hæreditas. ff. de reg. iur. † Treſque
2. ſunt ſecundùm præſcriptũ iuris Magdeburgeñ. ab inteſtato ſucceſſorum

gradus

gradus. † Primus eſt lineæ deſcen- 3
dentis, quæ complectitur filium, filiam, nepotem, neptim, pronepotem, proneptim, abnepotem, abneptim, & ſi qui naſcentur ab illis, quod, propter breuitatem humanæ vitæ, rarò ſolet contingere. In qua quidem linea ſui exiſtunt hæredes, Et Baldus in l. apud hoſt. C. de ſuis & legit. hęred. eandem ſucceſsionem ſuitatem vocat. Hanc Saxones ſinũ appellant, ex eo quòd extra cancellos ipſius non transferatur ſucceſsio, donec in eo hæredum nomina comprehendantur. SS. lib: 1. art. 17. † Se- 4.
cundus ſucceſsionis gradus eſt lineæ aſcendentis, in qua ſuis ſedibus continentur, pater mater, auus auia, proauus proauia, abauus abauia, quæ parentela vocatur parentum. & item ſinus talis ſucceſsio nuncupatur, intra cuius cancellos hæreditas immanet,

net, nec extra ad collaterales detorqueri poteſt. quamdiu (deficientibus nimirum hæredibus lineæ deſcendẽtis) ſucceſſores in eo reperiuntur.
5. Tertius † gradus eſt lineæ collateralis ſeu tranſuerſalis, hucq́ue referuntur, frater, ſoror, fratris ac ſororis filius filiaué, fratris & ſororis nepos neptiſq́ue, proinde pronepos proneptiſq́ue. huiuſmodi ſucceſſores alicuius eſſe dicuntur, deficientibus demum deſcendentibus atque aſcendẽtibus.
6. Quorum † alii cognati dicuntur, qui à genere fæmineo ortum ducunt. alij agnati, qui à maſculino ſexu deſcendunt, ad quos tutelæ functio de iure ſpectat.
7. † In iure tàm Ciuili quàm Saxonico, nullum eſt diſcrimen inter marem & fæminam in adeunda hæreditate, & deſcendentes quidem, ſiue ſint mares, ſiue fæminæ, aſcendentibus & collaterali-

bus præseferuntur. † Quare filii & 8.
filiæ à morte parentum superstites, æquali successionis prærogatiua gaudent, nisi fortè aliqui ex illis sint à parentibus emancipati (dicuntur autē emancipati, qui proprios lares, segregati à familia paterna, sibi constituerunt) à quibus quantum acceperunt, cum iuramento id omne conferre tenentur, præter vtensilia, & res expeditorias. SS. lib: 1. ar: 13. Quod & Praxis Curiæ retinet pro iure. & qui in ea linea descendenti primum locum tenent, præponuntur omnibus aliis in secundo gradu cōsistentibus,
nisi fortè parentes eorum † qui in eo- 9.
dem secundo gradu cōtinentur, nondum sint emancipati, tum illi loco parentum defunctorum, in bona aui & auiæ sibi possunt iure repræsentatiuo, successionem in stirpes cum reliquis hæredibus vendicare. SS. lib:

10 1. art. 17. † Quod ſi moriens nullis fi-
liis vel filiabus extantibus, duntaxat
ex filiis & filiabus, prognatos nepo-
tes aut neptes poſt ſe reliquèrit, illi
ſimili ratione in ſuccedendo omni-
bus aliis aſcendentibus & collatera-
libus manifeſto iure præferuntur.
Rurſum aſcendẽtes deficiente linea
deſcendentium, collateralibus ante-
ponuntur: vnde ſi defunctus quiſpi-
11 am † patrem reliquerit, ille præfer-
tur non ſolùm matri, ſed etiam omni-
bus aliis, in aſcendentium & collate-
ralium claſſe poſitis. Similiter quoq;
patre non exiſtente, mater pleno iu-
re ſuccedit, reliquis omnibus aſcen-
dentibus & collateralibus excluſis.
12 SS. lib: 1. art. 17. Vbi † ius Saxonicum
cum legibus imperialibus apertè pu-
gnare videtur, quę in ſucceſsionibus,
patrem & matrem, cum fratribus &
ſororibus defuncto, vtroq; latere cõ-

iunctis æquare videntur. Authen. de hæred. ab inteſt. veni. § conſequens. Coll. 8. † Ibidem docetur in § ſi autẽ. 13
quod præmortui fratris filij, vnà cum patruis admittũtur ad ſucceſsionem patrui defuncti, idque in ſtirpes, propter ius repræſentationis, quo referunt perſonam patris ſui, & collocantur in loco ipſius, gradu nempe ſecundo, tantumque ex hæreditate accipiunt, quantùm pater illorum, ſi viueret, accepturus eſſet. † Sed iuris item 14
Saxonici hoc in paſſu longè alia eſt diſpoſitio, quod repræſentationis ius in ſolis deſcendentibus, locum habere præcipit, fratriſque præmortui filios per patruum à ſucceſsione defuncti patrui excludi demonſtrat, illa ſua regula, qui proximior gradu, propior eſt ad capeſſendam ſucceſsionem. SS. lib: 1. ar. 3. † Nam iuxta idem ius 15
& frater diſtinctus, id eſt ex vno late-

re tantum cõiunctus excluditur à fratre vtrinque coniuncto. lib: 2. ar. 20. Indiſtinctorũ item fratrum filij, cum fratribus defuncti diſtinctis pariter ad ſucceſsionem vocantur: eo enim iure pares gradu eſſe cenſentur, quia
16 fratres indiſtincti collocãtur in membro colli & corporis. diſtincti † quippe ex vno latere tantùm coniuncti tranſeunt in remotiorem gradum, id eſt, in membrum annexionis brachij & corporis, vbi indiſtinctorum fratrum filij collocantur. SS. li: 1. ar. 3. Proinde indiſtinctorum fratrum pueri, æquè ſimiles ſunt, cum diſtinctis fratribus in hæreditate percipienda.
17 SS. lib: 2. ar. 20. Et quamuis iura Saxonica ius repræſentatiuum in collateralibus non admittunt, † in Regno tamen, hanc ſuccedendi rationem in ſtirpes, praxis continua conſeruandã
18 eſſe, aſsidua decidendi conſuetudine,

demon-

demonſtrat. Quod † tamen limita- 18
tur in filiis fratrum ſuperſtitibus, vbi
ſuccedentes in bona patrui defuncti,
non in ſtirpes, ſed in capita, haud qui
dem repræſentationis beneficio, ſed
iure proprio ſuccedunt. per text. SS.
lib: 1. art. 17. Nam ius repræſentati-
onis tum debet accommodari capi-
endis ſucceſsionibus, cùm fratrum fi-
lij in patrui ſucceſsionem vocantur
cum aliis patruis in ſtirpes, at quan-
do ſoli inter ſe ſuccedunt, non repræ-
ſentatiuo, ſed ſuo priuato iure gau-
dere debent, prout textus. SS. lib: 1.
artic: 13. dicit in verbis: Quando ad
hæreditatem ſoror non pertinet, ne-
que frater, omnes qui ſe in vno gradu
cognationis exiſtere probauerint,
æquam percipiunt portionem. E-
nimuero † Gerada & Hergewet, pe- 19
culiarem in iure Saxonico ſucceſsio-
nis modum ſortiuntur † nam Gerada 20

ad proximiorem cognatam morte mulieris delabitur. SS. lib: 1. ar. 27. Clericus etiam non beneficiatus (qui præsbiteratum aspirat) cum sorore sua, in vtensilibus videlicet Gerada matris suæ, æquam habet portionem.
21 SS. lib: 1. artic. 5. † Hergeuet item nempe expeditoria bellica masculi, ad proximum agnatum transmittuntur, quamuis alia hæreditaria bona ad proximum cuiuscũq; sit sexus devoluantur. SS. lib: 1. art. 27. Quod ita est accipiendum, si hæredes masculi ex lumbis defuncti descendentes omnino desiderentur, nam si extent, forteque sint minorennes, senior agnatus expeditorias res accipit, ad annosque pubertatis eorum easdẽ administrabit. SS. lib: 1. ar: 23. Intra
22 autem † curriculum anni & sex hebdomadarum repetenda sunt, tam arma bellica, quàm Gerada, alioquin

cedunt iudici. SS. lib: 1. ar. 28. † Et 23
quæ ex præſcripto iuris pertineant
ad arma bellica, conſule SS. lib: 1. ar.
22. 23. 27. Iur. Munic. 25. 26. Gera-
dam verò ſpectantia enumerantur in 24
SS. lib: 1. ar. 24. † Et verò licet ſecun-
dùm iura Saxonum, bona omnia mo-
bilia, poſt mortem vxoris maneant
in poteſtate mariti, in quæ etiam ſuc-
cedere debet, ab vtenſilibus tamen
excipitur, per tex. SS. lib: 1. art. 31. in
verbis: *Si autem viro viuente mulier
deceſſerit, nulla bona mobilia, preter v-
tenſilia, proprietatem verò ſi poſſidet
in proximum heredem relinquet.* quin
potiùs hæc vtenſilia, ſeu parapherna
eximuntur à poteſtate mariti, ſtatim-
que ad proximiorem cognatam de-
functæ mulieris tranſeunt. SS. lib: 1.
art. 27. † Cæterùm, in omnibus mo- 25
bilibus, exceptis ædificiis & ſupelle-
ctili, morte vxoris maritus plenum

 ius

ius obtinet. SS. lib: 3. art. 79. Quod
26 & praxis Curię perpetuò tenet. † Huc
refertur & pecunia dotis nomine da-
ta, nam & hæc lucro mariti cedit, nisi
per pacta dotalia aliud actum sit, quē-
admodum notat gl. SS. lib: 1. art. 3.
Quodsi dotalicium in recompensam
dotis lucratæ, maritus reformet &
constituat vxori, etiamsi dos cedat
lucro mariti, donationem tamen il-
lam propter nuptias seu dotalicium,
soluto matrimonio, mulier vel illius
hæredes à marito petere possunt. nisi
maritus circa denominationem talis
dotalicij expresserit, quod post mor-
tem suam illud expediri debeat, vt
27 glos. Iur. Munic. art: 22. † Qua in
parte Ius Ciuile & Saxonicum ma-
gnoperè differunt, quemadmodum
& fructus vltimi anni, quo matrimo-
nium est solutum, inter maritum &
vxorem, vel eorum hæredes pro rata

temporis, quo matrimonium dura-
uit, diuidi debere, ius Ciuile cenſet,
in l. fructus. ff. ſolut. matr. † Ius ve- 28
rò Saxonum, fructus induſtriales vl-
timi anni circa ſolutionem matrimo-
nij, in agro videlicet ſementes con-
ditas, maritum lucrari docet, expreſſ.
tex. SS. lib. 3 art. 70. At † verò in iu- 29
re Culmenſi (quod Pruſsiæ & omnes
fermè ciuitates Mazouiæ fouēt) non
eſt tanta ambiguitas decidēdi in do-
talibus cauſis, nam mulier poſtquam
lectum mariti aſcenderit, è veſtigio
medietatem bonorum ipſius, & con-
tra vir vxoris, lucratur. quod in per-
petua praxi ibidem ſeruatur. Interim
plebiſcita † cuiuſque ciuitatis eo in 30
paſſu praxis Curiæ ſequi conſueuit.
Inſuper præter illos tres gradus ſuc-
ceſsionis, eſt & quartus, videlicet vn-
de † maritus & vxor: nam hæredibus 31
non extantibus, maritus & vxor ſibi

 inui-

inuicem succedunt, etiam fisco exclusio. l. 1. C. vnde vir. & SS. lib: 3. ar. 80. in gl. Fiscus † porrò vltimus
32 hæres, nam non existentibus iis, qui adire legittimè possint successionē, scilicet descendentibus, ascendentibus, vel collateralibus, vel etiam coniuge, extunc fisco successio obtruditur. l. 1. & l. vacantia. C. de bonis vacant.

Titvlvs IX.
Possessio, Vsucapio & præscriptio.

Summæ.

1. Per possessionem confirmantur dominia rerum.

2. Possessor à probando immunis.

3. Possessionis quæ vtilitas.

4. Ad possessionem, bona fides, & certus titulus, requiritur.

5. Præscriptio sufficiens nexus possessionis.

6. Possessionis vincula sunt, vsucapio, & præscriptio.

7; Præscriptiones inducta sunt à iure ciuili.

8. Vsu-

8. *Vsucapiones ob tres causas introductæ.*
9. *Iuris ciuilis dispositio, ratione temporis præscriptionum.*
10. *Præscriptio longi & longissimi temporis.*
11, *Iuris Saxonici in præscriptionibus circumscribendis dispositio.*
12. *Præscriptio malæ fidei possessori prodest*
13. *In præscriptione firmanda bona fides requiritur.*
14. *In præscriptiones quæ res non cadant.*
15. *Hæres, in adeunda possessione, repræsentat personam defuncti.*
16. *Requisita præscriptionum metris recensentur.*

17. | *Ad præscriptionem requiritur.* | *Bona fides.*
18. | | *Iustus titulus.*
19. | | *Res non viciosa.*
20. | | *Quod res tradatur.*
21. | | *Tempus continuatum.*

22. *Tempus possessionis interrumpitur, naturaliter, vel ciuiliter.*
23. *Præscriptio per ignorantiam facti, non iuris, infirmatur.*
24. *Personæ certæ exemptæ sunt, quibus ignorantia iuris non præiudicat.*

1. PEr poſſeſsionem † etiam, acquiruntur & confirmantur domina rerũ, cuius ea eſt vis, vt ab illa nemo exturbari debeat, niſi iure conuictus. SS.
2. lib: 2. art. 24. † Neque illi iuris ſui probandi incumbit neceſsitas, ſi actor in probatione defecerit. SS. lib: 3. art. 4. Tanta † autem eſt vtilitas
3 poſſeſsionis, vt quandocunque petitoris & poſſeſſoris, iura ſunt vel ambigua, vel obſcura, ſemper pro poſſeſſore ſententia feratur. § retinendæ.
4. Inſtit. de interdictis. Et † ad veram poſſeſsionẽ requiritur bona fides, & certus aliquis titulus iuris, vt ſcilicet poſſeſſor rei venditorem, vel eum à quo ius quæſitum nactus eſt, credat eſſe verum dominum rei ſibi traditę. SS. lib: 1. ar. 59. Quæ bona fides etiam ipſo tempore acquiſitionis adeſſe debet. l. eum qui. ff. de public. in rem
5. act. Quoniam † verò regulariter o-

mnis actio, siue in rem, siue in personam, spacio triginta annorum tollitur, ita etiam de iure, quicunque per curriculum triginta vnius anni & sex septimanarum, continuam & non interpellatam bonorum possessionem obtinuerit, iam præscriptione, tam contra præsentes, quàm absentes, satis munitus, nequidquam necesse habet aliis titulis fulciri. SS. lib. 1. artic. 29. Possessionis † porrò vincula sunt irrefragabilia, vsucapio, præscriptio. V- 6.
sucapio itaque est acquisitio vel adiectio dominij, per continuationem possessionis, temporis lege definiti. l. 3. ff. de vsucap. Et dicitur vsucapio, quia per ipsam, tanquam vsum quendam & consuetudinem possidendi, capitur & acquiritur dominium. Præscriptio ius quod-

dam ex tempore congruens, legum authoritate vim capiens, pænam negligentibus inferens, & finem litibus imponens. Hinc vſucapio & præſcriptio differunt inter ſe, quia vſucapio locum habet in mobilibus, præſcriptio autem in ſtabilibus. In iure tamen vna pro alia accipi ſolet, vt
7. Inſt. & ff. de vſucapion. † Et hæ præſcriptiones inductæ ſunt à iure Ciuili, ita vt Bald. dicat in l. 1. ff. de emancip. liber. ſi ius Ciuile non eſſet, præſcriptiones quoque non eſſent, propter bonum ſcilicet publicum, vt dicitur in l. 1. ff. de vſucap. † Introductæ
8. porrò ſunt vſucapiones, ob tres potiſsimùm cauſas: Primò, ne rerũ dominia diu vel ſemper ſint in incerto. l. 1. ff. de vſucap. Secudò, vt & litium aliquis ſit finis. l. fin. ff. pro ſuo. Tertiò, in odium deſidioſorum hominũ, & ſui iuris contemptorum. l. fi. C.

de annal except. † Iuris Ciuilis & 9.
Saxonici, vt in aliis plurimis, ita hîc
alia est dispositio. Nam in iure Ciui-
li res mobiles pręscribuntur triennio.
Inst. de vsucapion. contra præsentes,
in stabilibꝰ decem spacio annorum,
contra absentes viginti annorũ inter-
uallo præscriptio completur. l. vni.
C. de vsucap. trans for. l. vltima C.
de præscrip. 10. vel 20. anno. & talis
præscriptio † longi tẽporis vocatur. 10
longissimi verò 30. vel 40. annorum
mora comprehenditur. Enimuerò
ius Saxonum † longè aliter in his di- 11
sponit, nam hoc iure res mobiles an-
no & die (id est sex septimanis) præ-
scribuntur. Immobilia verò tri-
ginta annorum & diei interual-
lo præscriptionem sortiuntur, vt SS.
lib: 1. art. 29. idque contra absentes,
nam contra præsentes etiam in bonis
immobilibus vnius anni & diei sufficit

præſcriptio, contra præſentes verò donationem bonorum audientes & tacentes, in inſtanti procedit præſcriptio. per tex. SS. lib: 2. ar. 6. Et quam-
12 uis† multa iura, omneſque communiter DD. ſentiant longiſsimi temporis præſcriptionem, etiam malę fidei poſſeſſori, prodeſſe, per textus. l. 1. C. de annal. præſcr. & Auth. malæ fidei. C. de præſcr. long. temp. † Tamen de
13 iure Canonico ſemper à poſsidente requiritur bona fides, nam illud quod non concernit fidem peccatum eſt, & id omni lege ſtabiliri nequit, quod ſine mortali peccato obſeruari non poteſt. arg. c. vlt. Extr. de præſcript. Cui ſententiæ iuris Canonici, vti forum conſcientiæ iuſtificanti, praxis Curiæ Reg. ſubſcribit. iuxta quod in cauſa ciuium Nurenſium dictorum Bogudouiæ anno 97. practicatum re-
14 fertur. † Sub rationem præſcriptio-

nis non cadunt res fiſci, res ſacræ, & furtiuæ, vel per violentiam occupatæ, denique mutua, commodata, & depoſita. l. neque. C. quibus non obſta. lon. tem. præſcr. Pueris item iuſta ætate carentibus nulla nocet præſcriptio, niſi egreſsi annum 24. per vnius anni & ſex ſeptimanarum ſpacium, tacendo iuri ſuo derogauerint. Iur. Mun. art. 21. gl. † Bona per ſuc- 15
ceſsionem acquiſita, & antequam adeantur, repræſentant perſonam defuncti, cuius poſſeſsio adminiculo eſt hæredi ad confirmandam præſcriptionem, eò quòd in illud ipſum poſſeſſionis ius ſucceſsiſſe videtur. SS. lib: 3. artic. 83. gloſ. † Requiſita ad vſu- 16
capionem & præſcriptionem, his metris cumprehenduntur.

Non vſucapies, niſi ſint tibi talia quinq;
Bona fides, iuſtus titulus, res non viciosa,

Quod

Quod res tradatur, & tempus continuetur.

17 Bona † fides requiritur: videlicet ignorantia rei alienæ, ſeu iuris alieni.
18 Iuſtus † titulus: id eſt cauſa habilis, legittima, & ſufficiens ad acquirendum dominium, ſiue ſit titulus lucratiuus, ex mera liberalitate, vt ex donatione, ex legato, &c. ſiue oneroſus, dum res ad te peruenit cum onere aliquid dandi vel faciendi, ſicut eſt in omni ferè contractu, vbi is qui recipit rem, grauatur viciſsim aliquid
19 dare vel facere. † Res non vicioſa: puta non furtiua, vel aliâs per legem alienari non prohibita. Quod † res
20 tradatur: requiritur enim traditio poſſeſsionis ad præſcriptionem, vt videlicet res præſcribenti ſit tradita,
21 non per vim occupata. † Tempus continuetur: requiritur enim ad præſcriptionem potiundam continuatio

possessionis.l. 3. ff.de vsuca.quoniam sine possessione præscriptio non procedit. c. sine possessione. de reg. iur. in 6. Et quidem continua possessio necessaria est, ita quòd ne momẽto quidem interrupta sit. † Interrum 22
pitur autem duobus modis, aut naturaliter, cùm quis vi è possessione eiicitur, vel per inundationem maris vel fluminis. l. naturaliter. ff. eodem. aut ciuiliter, per libellum principi oblatum, per litiscontestationem, per debiti recognitionem, per solutionẽ vsurarum, per precii oblationem, per cautionem à debitore factam. l. nec bona. C. de præscrip. lon. temp. l. vt perfectius. C. de annal. except. c. illud autem. de præscript. Præscri- 23
ptio † autem non currit, nisi à tempore scientiæ, dum enim quis committit ignorantiam facti, ignorans eum, de cuius hæreditate agitur, esse

mortu-

mortuum, tunc non officit ipſi præſcriptio. l. error. C. de iuris & fact. ign. aut committit ignorantiam iuris, & tunc præſcriptio taliſmodi ignorāti nocet: quilibet enim tenetur ius publicum ſcire. l. penul. C. de iur. &
24 fact. igno. Sunt † tamen certæ perſonæ exemptæ, quibus ignorantia iuris non præiudicat, vt milites, fæminæ, minorennes. in l. 1. & l. fin. C. de iuris & facti ignor. Item ruſtici. per l. ſi quis. ff. ad SCtum Syllan.

TITVLVS X.

De bannitis ſeu proſcriptis.

Summæ.

1. *Præſcriptio quid ſit.*
2. *Alia ſimplex ſeu minor.*
3. *Alia maior.*
4. *Regis fauore, proſcriptus iuri ſuo reſtitui poteſt.*
5. *Regali proſcriptione colligati, extra omnem protectionem ſunt poſiti.*

6. In Regali proscriptione longiùs perdurans, quid incurrit.

7. Proscriptus nulli potest intendere litem, contrà ei omnes possunt.

8. Modus procedendi contra proscribendum.

9. Forma Saluiconductus Regi.

10. Remedium datur proscripto, purgandi suam proscriptionem.

11. Clausula operis.

SVPEREST vltimò dicendum de proscriptione tanquam vltimario 1.
vinculo iuris. † Est autem proscriptio, seu bannimentum, pæna & castigatio quædam temporaria propter inobedientiam vel excessum contra aliquem, per sententiam iudicis sæcularis, promulgata, non absimilisque est excommunicationi Ecclesiasticæ, aut relegationi, deportationiué, cæterisque flagris iudicialibus, quæ habentur in tit. ff. & C. de requirendis reis. Ea proscriptio in
iure duplex comperitur, † altera simplex seu minor, cùm vnus propter ex- 2.

 cessum,

cessum, vel non comparitionem, in iure contumax pronunciatur, & talis anno quidem primo, ex proscriptione nimirum inferioris Iudicis redditur quisque suspectus, & grauatur eius æstimatio apud bonos viros, nō tamen est infamis. l. fin. C. de requir. reo. † Altera proscriptio maior, quæ & bannitio vocatur, quæ secundo fit anno, postquàm quis in prima anno & die perseuerauerit, vel etiam per Regium iudicium edicitur: & qui huiusmodi proscriptioni est obnoxius, honoris, vitæ, & bonorum condēnatur, ita vt infamis & iure priuatus efficiatur, omniaque eius bona ad Regiam deuoluantur potestatem, denique Feudalia bona ad dominum relabuntur. SS. lib: 1. ar. 38. 71. † Nisi fortè ex indulgentia atque authoritate Regis, proscriptus suis iurium prærogatiuis restitueretur, vt in l. 2. ff.

de sent. pass. & restitu. & in gl. SS. lib. 3. art. 17. † Proinde qui praescriptione Regali sunt colligati, extra omnẽ iuris protectionem positi esse censentur, sed neque hospitio sunt recipiendi, neque ad mensae communionẽ sunt admittendi, quin potius vnicuique licitum est tales proscriptos deprehendere, occidere, eisque violentas manus iniicere. † Quodsi in ea proscriptione Regali longiùs quàm par est quis perdurauerit, admittitur quidem ad purgandam causam bannitionis, qua mediante immunis erit à vitae periculo, sed famam bonam & facultates, quia Regiam proscriptionem despicatui duxit, censetur perdidisse. SS. lib: 1. art. 38. † Porro quicunque diris proscriptionis sententiis aspersus est, non illi licet contra quempiam iure agere, omnibus tamen liberum est, quibus visum fue-

5.

6.

7.

rit, ei litem intendere. † Iam verò dum pro actione potiſsmùm criminali in iudicio cōtra quempiam agitur, præſertim in manuali ſeu recenti, vt vocant, facto. E. g. ſi pro homicidio perpetrato, contra homicidam diſparentem & fugitiuum, acturus eſt quis, videlicet, proximus conſanguineus hominis illius trucidati, primùm coram iudicio bannito, enormitate ſceleris deſignati inſinuata, poſtulabit ſibi deputari præconem, ſeu apparitorem, ex officio iudicis: quod ſibi præſtari debet. Præco itaque ius deputationis ſuæ reſtituens, factis de iure faciendis, regredietur ad iudicium, referens à ſe iuxta mandatum iudicis, homicidam A B. in loco homicidii perpetrati clara voce, per publicum proclama, quatenus ad obiectum crimen coràm comparens, legittimè ſe expurgaret, iudicialiter-

que reſponderet, ſimiliter & in me-
dio itinere, inter locum homicidii &
iudicii ſecundò. Item tertiò ad ca-
dauer occiſi, & quartò vltra formam
iuris in iudicio, adcitatum, vocatum,
& acclamatũ eſſe. Qualis proclamati
onis ſolennitas, vnius horæ interual-
lo durabit, atque in decurſu horæ, ex
inſtantia actoreæ partis, accuſantis
rebellem contumaciam, & non com-
paritionem inculpati homicidæ, poſt
præmiſſam quærelam ſolẽnem, eam-
que criminalem, Aduocatus & Sca-
bini, ſinguli dextram attollentes, du-
obus digitis deorſum detortis, ferent
ſententiam contra homicidam, de-
cernentes eius cauſæ lapſum, ius ip-
ſius deprimentes, Aduocato quidem
præloquente, Scabini eadem pro-
nunciabunt, ter reiterantes, per
verba ſimilia. *Quandoquidem* A B. *in-
culpatus coram iudicio in cauſa homici-*

dii, ex parte occiſi C D. *acclamatus ter & vltra ſolitum quater, nec per ſe nec plenipotentem ſuum comparuit. Proinde ratione eius cędis, in cauſa eſt collapſus, corruit, & ſuccubuit. per ſententiam iudicii preſentis, ob patratum homicidium condemnatus, bannitus, atque proſcriptus pronunciatus eſt, prout de facto condemnatur, & bannitus ſeu proſcriptus pronunciatur. Cuius vxor pronunciata eſt vidua, liberi orphani, ipſe etiam alienatus eſt ab amicis, et traditus hoſtium arbitrio atque voluntati, donec purgando ius ſuum recuperauerit, & ad priſtinum ſtatum reſtitutus erit.* Quod decretum per præconē in quatuor partibus circuli ciuitatis publicari debet. Tali fulmine proſcriptiuæ ſententiæ attonitus quiſquam, ſi non vult ad vltimum vitæ, honoris, facultatumq́ue diſpendium properare, reſcripto primùm Regio,

videlicet literis ſalui conductus, curet ſe in protectionem iuris recipi, eiſque muniri, quæ ſimili forma conſcribi ſolent.† *Sigiſmundus* III. *Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Liuoniæ: nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hereditarius Rex. Significamus preſentibus literis noſtris, quorum intereſt, vniuerſis & ſingulis. Nos nonnullis de cauſis, maximè verò, de ſpeciali gratia & fauore noſtro, recepiſſe in patrocinium & noſtram protectionem Regiam, Famatum* A B. *ciuem noſtrum* N. *ipſique ſaluum conductum noſtrum preſentem, ac omnimodam ſucuritatem, á vi & potentia, quarumcunque perſonarum dediſſe & contuliſſe, virtute cuius poſsit & valeat, tutè, liberè, & abſque quouis impedimento, aut perhorreſcentia quarumuis perſonarum, vbique in Regno & Do-* .9

minijs nostris, maximè verò in & extra Ciuitatem nostram N. versari, commorarique, ac negotia sua licita atque honesta agere, & exercere, personis, rebusque illius omnibus, nostra hac protectione Regia, saluis permanentib. hinc ad sex mēsiū á præsenti data, decursū computando. Ita tamen, vt de se omnibus conquerentibus, in iure & iudicio competenti respondere teneatur. Qua in parte nihil cum ipso vi, sed iure mediante peragi debebit. Quocirca vniuersis & singulis, cuiusuis status & conditionis, subditis nostris, in Regno & Dominijs nostris consistentibus seuerè præcipimus, & mandamus, vt hunc Saluumconductum nostrum, in omnibus eius punctis, clausulis, & conditionibus, ad spacium temporis suprascripti, firmum conseruent, eidemque nullam vim & iniuriam inferre audeant, & ab alijs inferri non permittant, sub pœnis, in violatores sal-

*uiconductus nostri, legibus Regni sanci-
tis. Illis autem, ad quorum munus id
pertinet, iniungimus, vt hunc Saluum-
conductum nostrum, ad requisitionem
officiosam prꝫsentium exhibitoris, voce
prꝫconis, in locis publicis proclamari et
publicari faciant, pro gratia nostra, ac
officiorum suorum debito secùs non fa-
cturi. In cuius rei fidem prꝫsentes sigil-
lo nostro communiri mandauimus. Dat.
&c.* Quas † literas faciat publica-
ri, coramque iudicio illo apud quod
sententiâ proscriptionis damnatus
fuit, compareat, suam indemnitatem
palàm denunciet, offeratque se para-
tum esse, ad purgandam & iustifican-
dam innocentiam suam, non solùm
actori eius causæ, sed omnibus etiam
id sibi obiicere contendentibus: po-
stulabit exinde præconem sibi depu-
tari ad citandos, vel etiam publicè
acclamandos accusatores, agentes

pro prætenſo crimine, antequę omnia ſtatuens fideiuſſores officio, quòd in tribus proximè ſequentibus iudiciis, paratus erit ad reſpondendum vnicuique, ſi quis eum ſuper eodem crimine impedire, vel quidquam ab eodem expetere voluerit. Præco itaque de mandato iudicis additus, & ad actum eum deſignatus, in quatuor circuli aciebus, ſeu quartalibus, vel primùm in eo loco vbi homicidium patratum eſt: ſecundò, in medio viæ: tertiò, in loco cadaueris quondam exhibiti: quartò, coram iudicio, iuxta obſeruantiam legũ, ter, & vltra formam iuris, quater, ſolenniter vocabit, acclamabit, per publicumq; proclama citabit, omnes & ſingulos dicti N. occiſi conſanguineos amicos, & alienos omnes, quibuſcunque actio cõmiſſæ cædis, quocunque modo de iure competere poſsit. quo no-

mine relationem præco, ius deputati-
onis ſuæ reſtituens, faciet. Dum verò
nullus eorum omnium, nec per ſe,
nec per plenipotentem comparue-
rit, neque purgationem inſinuatam
impugnauerit, prædictus N. inſimu-
latus cædis poſcet per ſententiam, vt
à prætenſo homicidio & proſcriptio-
ne abſoluatur, iuriq́ue ſuo priſtino,
iuxta iuris formam reſtituatur. Quod
decreto mediante iudicij obtinere
de iure debet, cum iiſdem ſolennita-
tibus, cum quibus condemnatus fue-
rat, legittimæ integritati reconcili-
andus, tali ſerie. *Decretum eſt, quan-
doquidem prouidus* A B. *cupiens ſe ab in-
ſinuato, honeſti olim* C D. *homicidio, &
á proſcriptione liberare, citandos & ad-
uociferandos dedit omnes & ſingulos
dicti* C D. *interempti, amicos, conſangui-
neos & propinquos, ſi qui eſſent, qui
eam eliberationem impugnare vellent.
Quorum quidem conſanguineorum, a-*

micorum, propinquorum, cum nullus, neque per ſe, neque per ſuum legittimum procuratorem comparuiſſet. Quapropter dictus A B. *ex ſententia & decreto iudicij tam in cauſa inſinuati homicidij, quàm etiam á proſcriptione, in quam abſens intruſus erat, liber pronunciatus eſt, priſtinoque iuri ſuo reſtitutus. Cuius etiam vxor pronunciata eſt legittima, & liberi ſucceſſores legittimi, ipſe etiam receptus eſt ab inimicis, & reſtitutus eſt amicis, vt in cauſa hac á nemine mortalium ampliùs impediatur, neque etiam huiuſmodi pretenſa proſcriptio, ei aut ſucceſſoribus eius, aliqua ex parte noceat de forma iuris:* Ea ſolennitate iudicij, per tria banniti iudicij exercitamenta proſcriptus liberabitur. Non facile autem aduerſaria pars diſpareret, niſi priùs Verigeldo, & vberiore etiam emenda, pro obtruncato capite mitigaretur. Enimuerò hanc proſcri-

ptionẽ temporalis iudicii, per tricas, aliquaspiam, & cuniculos etiam exquisitos eludere, ius vtcunque permittit flagitioso; illam tamen horrendissimam supremi Tribunalis sententiam (ite maledicti in ignem æternũ) nemo illorum maleficorum sinistrorsum locandorum, euadere vllis exceptionibus, etiam peremptoriis, integrum habebit, quam contra se pronunciaturus est iudex viuorum & mortuorum CHRISTVS IESVS.

FINIS.






PRIVILEGII REGII *Edictum.*

Auctoritate S. R. M. cautum est, ne quis hunc librum, cui titulus est, PROCESSVS IVDICIARII PRAGMATICI SYNTAGMA COMPENDIOSVM. Authore GREGORIO CZARADZKI, S. R. M. Cancellariæ Notario compilatum, præter voluntatem Nicolai Lobij, in Regno Poloniæ, Dominiisque ipsi obnoxiis imprimat, vel alibi excussum, in his ditionibus, venalem exponere attentet. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & pæna fisco Regio exoluenda mulctabitur, vti latiùs in Regio diplomate expressum est.

Errata quæ ob incuriam operarum clanculùm irrepserunt, lector beneuolus, quæso, pro sagacitate indolis suæ corrigat. eorum illa notatiora reperiet in titulo 5. de contumacijs, 1. par. num. 3. iudcio pro iudicio, incusaturr. pro incusatur, responderiu, pro responderit, sede, pro se de. mult.taturus, pro mulctaturus. Cætera non sunt adeò grandia, quæ anxietatem vel ambiguitatem molestam pariant: ideo non est, cur hîc recenseri debeant.



Proces[illegible]
[illegible]
S. M
G Crarardelli

Crarradelli

